














SAUMAISE, Claude de

4/53

From the Sunderland library.

No. 6198

J. F. Payne
1883



CL. SALMASII
Interpretatio
HIPPOCRATEI APHORISMI
LXXIX. *Sectione* IV.
DE
CALCULO.
Additæ sunt Epistolæ duæ
IOH. BEVEROVICII
M. D.
Quibus respondetur.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
cIↄ Iↄ c XL.

1640



IOH. BEVEROVICIO,
Civitatis
DORDRACENÆ
Senatori amplißimo, & medicinæ doctori Excellentißimo,

CL. SALMASIUS.
S.

ACcipe, vir eruditiſſime, reſponſum ad tuas, quas ante alteram ſeptimanam accepi. Miraberis forſitan, typis ad te prius excuſum mitti, quam manu mea, ſicut potius decuit, ſcriptum. Non excuſabo factum, ſed cauſam dicam, cur fecerim. An non ſic, apud facilem & amicum, cauſa pro excuſatione valebit? Si iuſta videbitur, inquies. At iuſtam ipſe facies probando. Audi igitur, ut mirari deſinas ubi doceri cœ-

peris cur ita mihi faciendum putarim. In materia uberiore, dum tua latius coarguo, mea inflatius defendo, cum in eam quam vides crassitiem pro Epistola libellus intumuisset, homo pigerrimus haud potui mihi onus describendi imponere, cui ferendo me non esse sciebam. Hic enim meus mos, culpæ an laudis affinis nescio, sed meus est, in Epistolis & aliis scriptis fundendis, ut qualia primo impetu exciderunt, ita ad amicos mittantur, aut si sint quæ prælum poscant, ad typographum. Hoc quippe in iis quæ à me exeunt, non temere sed vere persuasum habeo, vix ea mereri ut cum cura poliantur. Primum quia, ut ait ille, stultus labor est ineptiarum. Et mea omnia talia scio esse, qui pretium eorum novi. Deinde quia nec lima in tam rudibus proficeret, quin potius radendo diutius ac mordendo deteriora ea redderet. Ita inhonesti oris mulieres quo magis com-

ptæ ſunt & ornatæ, eo deformiores apparent. Scriptam itaque ad te Epiſtolam, ubi vidi mole ſimul, & mala manu laborare, ut utrique noſtrum parcerem, mihi ne in deſcribendo operam moleſtam ſumerem, tibi ne in legendo moleſtior eſſet devoranda, viſum eſt typographo eam dare. Ille & mendoſæ ſcripturæ vitia, multis hinc inde lituris ſpurcatæ, & additionibus ad margines & inter lineas infartis perplexabilis, omnia emendavit, emendatamq; in tuum conſpectum ſiſtet, talemque nunc tibi offero. Nec dubito ſane quin malis hanc typographi nitidam & mundam aſpicere cælaturam, quam Chirographi mei, non ſcite nec litterate expreſſi parum gratas, & oculos legentis fatigaturas lineas. Feci ſane quod nonnullos aliquando in his locis facere ſolitos accepi. Ubi cœno ac ſordibus inquinatiora ſibi ſua facta cernunt veſtimenta, quam ut opera famuli for-

tasse negligentis, & laborum fugitantis elui possint, sic lutata mittunt ad trapezitam, egere simulantes pecunia, sub illis pignoribus fœnori sumenda. Paucos post dies relato quod debent argento, pauxillæ usuræ pretio recipiunt pallium diligenter emaculatum, ac politum. Non alio scias me consilio hoc exemplum moremque esse imitatum, cum tradidi typographo litteras imprimendas, quas ad te mitti oportuit mea manu exaratas. Ad rem ipsam quod attinet, perinde est sive plures quod scripsi videant ac cognoscant, sive tu solus. Amicis aliquot atque intimis tuis communicare meas non dubitasses. Idem istuc quoque in tuis fortasse usurpassem. Sunto nobis omnes, quod pauci noti & familiares. Si recta futura sunt omnium iudicio quæ chartæ mandavero, cur privata potius maneant, quam publica fiant, omnibusque pateant? Sin aliquid parum apte ceciderit, quod

bellissimũ tamen esse credã, an simul etiam debebo credere, erranti consultius esse nesciri quod errem, quam errorẽ ab aliquo mihi indicari? Quid si ille aliquis inter mille unus sit qui hoc possit, & preterea eo amico utar, an si huius conscientiam non metuã vereri me oportebit aliorum iudicia quos certus sim non æque posse videre meas culpas, & animadvertere? Si Beveroviciũ non reformido censorem cum ad eum de calculo audeo commentari, medicæ ipse rei plus quam imperitissimus, medicorum qui sunt quique aliis erunt in annis, doctissimum ac politissimum, an alius quisquam erit cuius virgulam censoriam extimescendam mihi debeam existimare? Immo vero, præstantissime Beverovici, ita te iudicem huic disceptationi metuo, ut quandoquidem subiicere eam tuo solius examini privatis litteris veritus non essem, nunc minus timeam te eumdem publicum habere cum aliis παρέδροις in ea examinanda, ἐπι-

γνώμονα,& existimatorem vel acerrimum. Non acerbiorem te censorem reddent illi cùm quibus una iudicabis, non infensiorem, non denique iniquiorem. Nihil cæteri addent ponderis ad tuam sententiã, sed tuo iudicio omnes accedẽt. Ego vero ei succumbere sum paratus, tanti erit apud me & in me ponderis. Quod solus in hac causa faceres si hoc scriptum quasi arcanum aliquod uni tibi commisissem, in turba id facies, & erga publicatum eundem te præstabis, ac parem servabis animum, qualem te domi tuæ potuisset experiri. Non etiam timeo ne, quia hic tua quoq; quodammodo causa agitur, recti iudicis & ἀδεκάςϐ officio minus defungaris. Sinceritatem tuam novi & affectum erga te meum. Uno verbo dicam, quo recidunt omnia quæ dixi. Qui coram te ineptire non erubuissem, nulla mihi iacturæ pudoris in publicum prodeunti metuendę causa est, ubi nemo est prȩter te qui me eo possit suffundere, aut quȩ publi-

publicavi confundere, niſi tu feceris. Quidquid patiar, mali bonive, lucem huic ſcripto dare auſus, huius tibi cauſam imputabo. Cur enim me in hanc arenam, nihil tale cogitantem, pertraxiſti? Non erat in mente mihi eo tempore calculus, multo certe minus quam in veſica, nam de hoc certum non ſcio, de illo plane ſciebam, cum tuæ litteræ venerunt, quibus rogabas, ut de illo Hippocratis Aphoriſmo, deque eius tua explicatione quid ſentirem tibi exponerem. Ut tuam tunc ſententiam non probavi, ita nec tu poſtea meam. Nunc hac Reſponſione mea contendi, ut patere omnibus poſſet, utra probabilior ſit interpretatio. Si bene hæc mihi opella ſucceſſit, videbis ipſe, nam & te iudicem non cum omnibus tantum, ſed etiam ante omnes facio. Si male provenerit experimentum, ridebis cum aliis, certe vel ſupra alios. Res enim tuo plane ioco & cachinno digna eſſet, niſi cum indignatione potius vi-

deretur excipienda, hominem ἀμύη-τον iſtorum initiorum, & plane prophanum, Πανακείας divæ ſanctiſſimæ & caſtiſſimæ auſum eſſe ſacrarium intrare. Non huic facinori id impunitius eſſe debeat, quam fuit olim alicui maſculo in opertum Bonæ Deæ penetraſſe, à quo teſticulorum ſibi conſcius omnis muſculus longe fugere debebat. Sed ita propitiam habeam illam Ὑγίειαν cuius fugitivæ retrahendæ curam ars veſtra promittit, ut invitus ad hæc myſteria cognoſcenda, interiuſque inſpicienda acceſſi. Cur ad intima ſacra inviſenda quaſi ἐπό-πτην me invitabas, cui à longinquo, inclamare debebas adire prius & introſpicere eà conanti, ἑκὰς ἑκὰς βέβηλε; Si quod in hac re peccatum eſt meum, tuum quoq; eſt. A te vocatus, per te admiſſus, grande illud ſecretum vidi quod non oſtenditur niſi μεμυημένοις. Inde egreſſus aliud maius flagitium commiſi. Quod cum reverentia & ſilentio

acci-

accipere, acceptum ſervare, ac venerari religio me iubebat, non evulgare contentus, etiam improbavi. Hoc plane eſt ἐξορχεῖσθαι μυστήρια. Huic vitio, quo id facere impulſus ſum, quod nomen impones? An λιθίασιν mentis ac συμπώρωσιν vocabis? Levitatem fortaſſe potius, & omnia effutiendi effundendique quæ in mentem cumque veniunt, nota ignotaque, libidinem vix ferendam. Obſequi certe tibi volui, quia me rogaveras, ut depromerem, quid mihi de tua explicatione videretur. At ſequi non potui, quia vis veritatis alio trahebat. Quod te in bonam partem eſſe accepturum certo ſcio, & mihi id polliceri audeo. Non enim aſſenſum meum exquirebas, ſed ſenſum. Eum expoſui tibi, ut potui, ut pro mea in iſtis rebus imperitia, rectum eſſe iudicavi. Si tam bene, ut non melius deſideraſſes, erit quod mihi gratuler, non tamen ut gratiam meritum me credam. Si deterius opinione mea res ceciderit,

ita

ita ſententiam meam poteris non recipere, ut voluntatem vix queas quin gratam acceptamque habeas. Quocunque ſane tandem modo hoc negotium mihi proceſſurum eſt, ſutoris ultra crepidam aſſurgentis, & non fabri fabrilia tractantis opprobrium fortaſſe non effugiam. Sed cum medicus hoc oneris non medico impoſuerit, ipſe etiam arguetur impoſuiſſe bovi clitellas, vel quod turpius eſt, matulam oſtendiſſe ὀυροσκοπικῆς imperito. Si reſpondebis, nihil tale tamen à te mihi metuendum ſcio, quale nuper à quodam catharmate, omnis inſcitiæ retrimẽto, licet Doctor ſit, paſſus ſum. In quo homine, ſi homo eſt, ita improbitas cum imperitia, impudentia cũ ſtultitia certant ut his quattuor omnes quotquot fuerunt ac ſunt improbiſſimos, imperitiſſimos, impudentiſſimos ac ſtultiſſimos longe ſuperet. Si nomen quęris, *Cyprianus Regneri* vocatur. Si genus, ex illuſtri *Cyprianorum* familia ſe ortum prædicat. Forſitan

ſitan ultima ab origine ſtirpis eius auctor fuerit Cyprianus martyr. Ita ego qui *Claudius* vocor ſic poſſim videri à *Claudiorũ* gente genus ducere. Sed ex quam lauto luto fictus, aut ex quam luculento ſterquilinio eductus fuerit hic Coprias, nihil ſane ad me attinet. Ut nec illa me tangunt quæ ſe digna, me indigna, ex vinulentis ac virulentis illis ſuis faucibus ebrius eructavit vel evomuit. Incitatus & inſtigatus primo in me fuit per amicum illum tuum, qui cum ſua defendere aut nolit aut non poſſit, ſic tamen arbitratur ſe famam ſuã in tuto locare poſſe, ſi per alios meam faciat attentari. Læſum forſitan à me dicto factove Coprianum illum dices? Læſerimne quem ego natum neſciebam, priuſquã inſolentiſſimo & ineptiſſio ſcripto me laceſſiſſet? Retuſus ab Alexio quem me eſſe imaginatur, tantis furiarũ facibus in me exarſit, ut non hominem, qui nihil hominis habet, ſed aſinum plane exuerit. Cætera ſane ferocem & immanem bel-

luam

luã putare potuissem nisi ingeniũ asininum retinuisset. Prętextus huic ὄνῳ ὑβριστῇ & calcitroni me impetẽdi hic quæsitus est, quod violassem Cunæi manes quo pręceptore gloriatur. Calumniæ manifestæ convictus in hac criminatione per Alexium, nunc eo cõfugit, ut dicat, sibi visam esse hanc veram mentem meã, cum Cunæum *magni nominis I.C.tum* appellavi, quod nominis tantũ fuisse magni intelligerẽ, & ad plures tales abiisse, qui scilicet magnum tantũ nomen haberent. Quid facias huic bestiæ qui ne sensus quidẽ communis guttulam habet reliquã? An lęditur eius existimatio, de quo dicas magni nominis esse aut fuisse in ea arte quam profitebatur? Numquid magnum nomen ex nihilo comparatur artifici, vel ex imperitia professionis? Talia omnia sunt in illo stercoreo libro, Volusii annalibus, ut cętera oĩa quę edidit, adnumerãdo. Et tamẽ ex eo scelestus nebulo, & κοπρέλογος quasi re bene gesta & causæ victor triũphat. Hoc illis stultis etiã

per-

perſuaſit à quibus quaſi κύων λυττώδης in me immiſſus eſt. Vix parti tertiæ argumentorũ Alexii reſpõdit. Et quæ putat refutaſſe in his ſe ita futilem ac fatuũ præbet ut me eius valde miſereat. Nolo mihi quicquã eſſe negotii aut cõmercii, vel concertationis cũ tali ὀνώδει monſtro. Excitabitur iterũ Alexius, cuius hæ partes erunt. Interim dum ille funes ac fuſtes huic rabioſo animali conſtringendo, & deſtringendo parat, docere hic volo Iuriſconſultos illos, qui aſellũ iſtũ phaleris equinis ornatũ ad preſepe ſuum huc remiſerunt, quod credunt in iure eſſe παράδοξον, eam eſſe receptiſſimã Galliæ Italiæque celeberrimis iuris auctoribus opinionẽ. Carolus Molinæus maximus ſuę ætatis Iuriſcõſultus, & tantæ dũ viveret auctoritatis, ut etiãnunc mortuo id honoris à ſummis Regni Curiis datũ ſit, ut allegari ab Advocatis cum Papinianis, Paulis & Ulpianis poſſit. Is igitur Molinęus in tractatu de Uſuris num. XVIII. ſcribit, *In mutuo licet pecunia fiat accipien-*

pientis,non tamen libere nec prorſus ab-
alienari,quia mutuatio non eſt aliena-
tio,ſed adminiſtratio. Idque probari
text. in leg. Rogaſti π. ſi fugiti-
vus. Et in ea ſententia eſſe *Alexan-*
drum, Decium, & omnes ibidem affir-
mat. Idē confirmat & num. CCCCLIX.
ubi ex caſu eiuſdē legis, notat *ſervum*
habentem ſimplicem adminiſtrationem
peculij, poſſe mutuare. Et ibi Alexandrū
& alios notare quod mutuum de ſe non
dicitur actus alienationis ſed admini-
ſtrationis. Tunc autē recte dici alienata
in totum, ſi hæc obligatio in totū remiſſa
ſit. Ita certe & ſi ex parte remiſſa fue-
rit , ex parte tantum erit alienata.
Cū igitur mutuum obligatio ſit, &
obligatio remiſſa, alienatio, ex eo ſe-
quitur mutuum non eſſe alienatio-
nem. Sic enim daretur alienatio rei
iam alienatæ ab eadem perſona in
eamdem. Quæ eſſet alienatio alie-
nationis. Aliquando certe alienare
in iure latiſſima ſignificatione acci-
pitur pro quavis dominii tranſlatio-
ne, ut etiam auctor Diatribæ de mu-
tuo

tuo notavit. Et ita intelligendæ ſunt illæ XVI. & XLI. D. de rebus creditis, ut alibi oſtendã I. C.tis illis qui illuſtri Copriano eas ſuggeſſere. Præterea, ut recte docuit Molinæus, mutuum non proprie ſubſiſtit in illis ſpeciebus quæ pereunt apud debitorem, neque redeunt ad creditorem. Hæ fiunt accipientis. Harum poſſeſſio, dominium, & proprietas transfertur ad mutuatarium, & ſic quaſi alienantur. At ſi in his tantum rebus mutuum conſiſteret, non diſtaret à dono, vel donatione. Proprie itaq; conſiſtit in ſubſtantia earum rerum quæ reddi debent in eodem genere. Hæ manent in creditoris poteſtate ac bonis. Hæ faciunt ut mutuum ſit, ac vere dicatur. Mutuũ quippe non eſt niſi reddatur. Hæ deniq; nullo modo alienantur. Et propterea mutuum alienatio non eſt. Et hæ quidem etiam præſtant, ne illæ ipſæ res quæ dantur mutuo, alienatæ videantur, quia ſuffectionem recipiunt in genere eodem. Atqui quod in genere eodem

ſufficitur ac redditur, idem cenſetur cum ipſa ſpecie individui quæ data eſt. Ideo non datur ἀλλαγὴ nummorum eiuſdem generis, nec permutatio, vel cambium. *Suffectionem* repoſui apud Paulum, pro *ſuo functionem*. Quærit inſcitiæ matula ubi hæc vox *ſuffectio* legatur. Non legerat nimirum, nec qui ipſi in ſcribendo adfuere, *ſuffectiones conſulum*, & *conſules ſuffectos*. Quæro ego viciſſim ab illuſtri tenebrione, ac Iuriſconſultis nihilo illo ſapientioribus, ubi *functionē* legerint pro functione quæ fit vice mutua? Si *fungi* abſolute poſitum idē eſt quod vice alterius fungi, omnino *tenere* ſignificabit *locum alterius tenere*. Sed capta vorſoria vult ſtatim functionem eſſe permutationem. An ſtare hoc poſſit, Alexius ſuo tēpore ac loco videbit, ut & de reliquis Coprianicis nugamentis. Iuriſconſulti qui eum armarunt, pro probato ſumunt ſolutionem eſſe alienationem. Inde concludunt, & mutui dationem ſolu-

lienationẽ esse. Alexius probaverat ex Ulpiano solutionem non haberi pro alienatione leg. x. D. de alienatione iudicii mutandi causa facta. Inde ergo conclusit Alexius, si solutio pro alienatione habita non est antiquis Iurisconsultis, ne mutui quidem dationẽ pro alienatione eos habuisse. Necessario quippe cõsequeretur solutionem esse alienationem, si mutui datio id esset. Nam in debitorẽ à creditore alienatum, rursus à debitore in creditorem alienaretur. Et maiori quidẽ ratione solutio esset alienatio quatenus non reddituro solvitur, cũ reddituro mutuum datur. Huic invictissimo argumẽto nihil reposuit nisi nugas illustris Coprianus, ut nec alter Lucius, verus asinus, qui credit novam ac falsam hanc esse doctrinam, cum sit vetus ac vera. In Boëthii loco citando omisit, quod apud eum sequitur, pecuniam quæ in nominibus debetur *non omnibus modis esse alienam*. Hæc paucis, donec plura Alexius cuius hæc lis

 est,

est, ut ostenderem Doctoribus Batavis, me quem Grammaticū vocant, non ex imperitia iuris, aut novitatis studio impulsum, opinionem illam defendisse, qua negatur mutuum esse alienatio, cum tot rationibus nitatur, & fulciatur tot doctorum auctoritate, sed ut errorem inveteratum qui mentes etiam peritiorū occupavit, animis hominum detraherem. Ignoscent porro mihi Iurisconsulti Batavi & Hagenses advocati, si malim simpliciter errare cum tantis iuris Auctoribus, quam, quod ipsi faciunt, cum ratione insanire. Quid censes doctissime Beverovici? Tu me iudicem in lite de re medica cepisti, numquid possum te arbitrum sumere in hac controversia iuris? An quia te condemnavi, vereri debeo ne retalies, ac me quoque condemnes? Causa mea hoc melior videtur quam tua, quia pro mea doctores habeo, tu pro tua nullos Vale & me ama. Leydæ VII Augusti. cIɔ Iɔ c XL.

Nobi-

Nobilissimo Viro,

D. CLAUDIO SALMASIO

IOH. BEVEROVICIUS

S. D.

NEscio quo fato, Vir Nobilissime, mea verba aliorsum, atque ego scripsi, iterum acceperis. Conquerebaris de iis, qui pro responso objiciebant Satyras; quas pro scuto habere, respondebam, nulli probatum iri posse. At hoc quomodo in te locum habebit, qui non scripseras? Sed de his plus satis. Pro veteri apud Plinium lectione restituta, summas habeo gratias; nec minores, quod me errore liberaveris in versione vocis ὑφίσαται. *Quia tamen non videris sensum meum satis percepisse, dabis facile veniam, ut novi candorem tuum, si ea adduxero, quæ me in istam sententiam pertraxerint. Quod non melius fieri posse mihi persuadeo, quam si tuis ordine respondero.* Non arridere *tibi scribis* ὡς ὑγρῷ *me accipere pro* ἐν κύστει. *Non mirum; quomodo enim tibi arridere possent tam ridicula, vel ipsi Heraclito ridenda? Absit ut ego contentum ita pro continente asserere ausim, qui nunquam audivi inter ista* μετωνυμίας *exempla referre urinam pro vesica optimum doctorem meum Ger. Vossium, qui diffuse istam rem prosequutus est?*

Id tantum dixi vocem Οὖρον *etiam sumi pro sero in vesica, antequam excretum est. At tu statuis* οὖρα nomine Hippocratem plane intelligere urinam emissam. *Sed serum illud, antequam emissum,* οὖρον *vocari, ipsum Hippocratem auctorem dabo. Hinc & Galeno* τὸ οὖρον ὡς ὀῤῥὸς ἐστὶ τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. *Verba sunt Hippocratis* VI. *Epid.* Γλῶσσα οὖρον σημαίνει, *quibus indicium peteret ex lingua, qualis esset urina, si* οὖρον *illi semper notaret urinam excretam. At de ipsa, ex emissæ inspectione, quod faciunt Medici, longe certius iudicari potest. Hoc est, veluti si quis de igne, qualis esset, cum ipsum videre posset, fumum consuleret. Quare recte, ni fallor, interpretes, non de urina emissa, sed de sero sanguinis exponunt,* Lingua serum, quale sit, indicat. *Vbi Galenus ad meam quoque mentem* τὸ οὖρον *explicat,* ἤτοι τὸ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενον ὃ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἀποκρίνομεν, ἢ τὸν τῶν χυμῶν ὀῤῥόν. *Hæc pro multis sufficere credo ad probandum,* οὖρον *Hippocrati significare tam urinam emissam, quam, quæ adhuc, quod negas, in corpore subsistit. Sic &* οὖρα ἀπέστη *sæpius dicit de urinis suppressis; quæ certe nondum emissa.* Ponamus, *inquis,* ὑφίσταται esse subsidunt, (*nec ipse negas*) & οὖρον accipi pro κύστει (*hoc mihi affictum esse iam dixi, & ex libello edito patet*) quid hoc erit, arenæ quæ in vesica sistuntur, indicare vesicam λιθιᾷν;

Nihil

Nihil aliud erit, quam verum calculosæ vesicæ signum, quod hic quærimus. Quare frustra ignis in foco positi, & consistentis *exemplo ridetur.* Colligitur, *addis*, vesica λιθιᾷν, cum in urina excreta apparent subsidentia sabulosa. *Qui hoc colligit medicus, exercitatis in arte ludibrium debet. Non enim modo in ægrorum, sed & sanorum urinis sabulosa subsidere quotidie observant. Ac qui tales chirurgis statim secandos traderet, næ ille plures profecto*

Quam Themison ægros autumno occideret uno.

Pergis, Non minus verus est Hippocratis Aphorismus, quod multi arenulas reddunt cum urina, qui nunquam nec renum, nec vesicæ calculo afficiuntur. Nec quod multi calculo laborant, qui tamen non fundunt arenulas aut sabulosa. *Imo ob utrumque falsus & fallax esset divinus ille senex, qui Macrobio nec falli, nec fallere scivit. Neque maiorem das ex fumo lucem, quale ego παρέλληλον hic discutere supersedeo. Mei instituti est, quod addis*, Sic & in renibus, & in vesica multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinam sabulosa effundentem non proditur. *Recte, & in eo medicos habes ὁμοψήφους. Sed hinc recte etiam infero, Sabulosa cum urina*

effusa, si non præbent calculorum indicium, qui in renibus, aut vesica hærent, non posse haberi pro eorum signo, minus παθογνωμονικῷ, *quale requiritur in Aphorismis. Mox accedis ad Hippocratem:* Sed quisquis arenas effundit per urinam, quæ & in imo urinæ subsidunt, certum est signum, in eius vesica arenas & calculos esse. *Imo tam certum est signum, ut vix aliud incertius. Quod Medici omnes, qui non tantum ex libris, sed ex arte medendi & frequenti exercitatione sapiunt, mecum confiteri debent. Quare neutiquam* scitum Hippocratis, *medicorum sine controversia principis. Galenus ipse testatur manifeste errare Aphorismum, quia tantum vesicæ, non etiam renum facit mentionem. Sed nec hoc addito verum esse, vere asserit insignis medicus Christophorus à Vega, professor Complutensis.* Quandoquidem (*affero ipsius verba*) sæpe videmus arenulas mingi, & hominem non laborare calculo renum, neque vesicæ, neque unquam laborasse. *Id ipsum & verba tua iam citata asserunt. Sed, quod sequitur, plane militat pro mea sententia.* Videmus multos, *inquit*, arenulas mingere, atque cum cohibentur, prædicimus calculum futurum. Cum enim semel excretæ fuere, maiorem movent calculi suspicionem, cum retinentur, quam cum minguntur.

tur. *Nullum itaque Vegæ signum calculi, arenæ cum urina emissæ, ne quidem renalis, nisi subsistant, sive sistantur, in renibus aut vesica. Et hoc est ὑφίσαται, quod & in nostro Aphorismo* subsistunt *vertit Medicus magni nominis Leonicenus. Non possum melius, quam Hippocratem Hippocrate explicare. Hic in Coacis istam vocem eadem significatione posuit,* Οἷσιν ἁλμυρώδεα πτύελα καὶ βὴξ ὑφίσαται· τουτέοισι χρὼς ἐρυθραίνεται. *Foësius recte, meo iudicio, vertit;* Quibus salsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus (*malim*, cutis) rubescit, &c. *Et eodem sensu Duretus, post Galenum Heurnio medicorum primus:* Si cui sputa salsa, unaque tussis quiescunt, illi rubet corpus, *&c. additque in enarrationibus id fieri ex infirmitate partis, quæ amplius concuti nequit ad promovendam expurgationem humoris tabifici, qui in pulmonibus residet. Hanc significationem confirmat* ὑπόστασις, *eodem sensu Hippocrati sæpius usurpata. Sic* κοιλίης ὑπόστασις *in iisdem Coacis illi alvus subsistens, sive suppressa,* ὅταν γαστὴρ μὴ διαχωρέῃ, *ut alibi loquitur. Sic* ὑποστάσιας ὑγρῶν, *quod itidem frequens est apud eundem, Galenus exponit* τὰς ἔνδον μονὰς τῶν ὑγρῶν, ἃ προσῆκεν ἐκκρίνεσθαι. *Idem volo hic indicare Hippocratem, si arenæ, quæ vacuari cum urina deberent, in vesica subsistant, signum esse in ea generari calculum. Hoc est, quod ipse dicis,*

Subsidentes huiusmodi arenæ in vesica, omnino faciunt, ut λιθιᾷν dicatur. *At hoc non faciunt, quæ cum urina excernuntur, nec calculi indicium sunt. Non magis quam si dicamus, qui excernit bilem, laborat ictero, qui pituitam, ei œdema molestum. Qui arenas, è quibus coagmentatis calculi generantur, ei calculus est in vesica. Imo illi potius, qui non excernit excernendas. Hæc habui, quæ pro interpretatione mea, veritatem falso alias aphorismo conciliante, afferrem. Eam Patavii anno* XVI *Exc. Sanctorius albo probabat calculo: mihi tamen non probam, si tu atrum adieceris. Quamvis enim eius veritas parum dubia mihi videri nunc possit: nullus tamen dubito, quin vel uno à te verbo aliter edoctus, cito labascam. Vale, eruditorum decus, & studiis nostris favere perge. Dordrechti* XVI *Kal. Sextil.* cIↃ IↃ C XL.

Amplis-

Amplissimo viro,

IOH. BEVEROVICIO

CL. SALMASIUS

S. P.



Ccepi tuas, Clarissime BEVEROVICI, quas mihi ipse de manu in manum reddidit amplissimus vir Stacmannus noster, cui eas miseras, simulque mandaras, ut prius legeret quam traderet. Cum igitur in iis tradendis hoc ipsum, lectis mihi tuis, significasset, statim resignatas coram ipso meas, nec perlectas, reddidi, ut posset per otium illas percurrere. Quod & ille fecit, & à prandio, nam ante meridiem ad me venit, Epistolam illam ad me remisit. Doleo sane me tam infelicem fuisse, ut mentem tuam non uno loco assequi vix potuerim. De satyra, quia nullã publicavi, facile iam tibi accedo concedoque de me nihil te cogitasse. De loco Hippocratis hoc me acrius urit, quod perspexisse non bene visus sim quid tuæ esset sententiæ. Induxere me tamen tua verba, ut putarem istuc tibi in mente fuisse, quod eram hariola-

tus. Et quis non istic falsus fuisset? Vel aliquis longe me acutior hic potuisset labi. De urina loquens, dicis, *hoc nomen etiam in vesica obtinere.* Suspicatus igitur sum, nec sine causa, hoc à te dici, *nomen urinæ etiam in vesica*, vel *de vesica obtinere.* Hæc enim tua verba sunt, locum ex Aphorismo Hippocrateo interpretantis, *ut sensus sit eos vesicæ calculo laborare, quibus sabulosa, quæ excerni solent, in urina, hoc nomen etiam in vesica obtinet, remanent, ac in vesica sistuntur.* At tu, ut iam nunc tibi credere audeo, voluisti dicere, urinam etiam in vesica consistentem, hoc nomen, οὖρα scilicet, obtinere. Quod ego, cum tua legerem, ideo minime adduci poteram ut crederem, quia vix hoc cuiquam dubium sit quin vox οὖρον, tam urinam dum adhuc in vesica hæret, quam quæ effluxit, significet. Id tamen conatus es persuadere tibi, quasi hoc ipsum negaverim. Si negavi, fortasse erravi. Quid si nec erravi? Causam ei rei dicam. Sed quæso te quid mali feci si verba tua in eam sententiam interpretatus sum? Cum dixissem non mihi hoc arridere quod acciperes ἐν οὔροισι, vel ἐν οὔρῳ, apud Hippocratem pro ἐν κύστει. *Non mirum id esse,* respondes, *quomodo enim cuiquam arriderent tam ridicula, vel*

ipsi

ipſi Heraclito ridenda? Quid? Hoccine putas tam ridiculum, ut in illo aphoriſmo Hippocratis, quomodo illum exponendum arbitraris, τὰ οὖρα, vel τὸ οὖρον pro κύστει accipiantur? Immo niſi hoc verum ſit, velim ipſe omnibus cachinnonibus vel maximum ludibrium debere. Quid quæſo intereſt utrum dixero, *quibus in urina ſabuloſa ſiſtuntur*, an, *quibus in veſica ſabuloſa ſiſtuntur*, ſi urina ibi accipiatur pro eo humore qui intra veſicam adhuc conſiſtit? Nonne enim illa arenoſa, quę in urina adhuc intra veſicam conſiſtente ſiſtuntur, in ipſa veſica ſiſti putanda? Certe potius in veſica ipſa ſiſtuntur, quam in urina. Quippe cum in imo ſubſidāt iſta ſabuloſa, tam in veſica quam in ipſo vaſculo quo emiſſa urina excipitur, æque diçi poſſunt, ſane vel melius, in ipſa veſica ſiſti quam in urina. Revera enim ſiſtuntur in ipſa veſica, non in urina. Hæc verba ſunt Hippocratis aph. LXXIX. ſect. IV. ὁκόσοισιν ἐν τοῖς οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Vertamus illa ex tua ſententia: *Quibuſcunque in urinis ſabuloſa ſiſtuntur, illis veſica calculo laborat*. Hoc omnino obſcurum, & ambiguum. Quis namque non poſſet *urinas* ibi accipere iam emiſſas? Reddamus Latine, ut omnes reddiderunt

interpretes, *quibuſcunque in veſica ſabuloſa ſiſtuntur, iis veſica laborat calculo.* In hac verſione nihil erit difficultatis. An tu iam eſſe hunc illorum verborum ſenſum negare poſſis? Nec ergo poſſis inficiari quin οὖρον apud Hippocratem eo loco pro veſica acceperis. Saltem vix effugies, quin ex tua ſententia ita poſſe accipi, nonnemo cenſeat. Adeone tibi dura videtur hæc metonymia? Nihil ea uſitatius. Vel iudicem ſumamus doctorem tuum, mihique & tibi amiciſſimum Gerardum Voſſium, virum undequaque doctiſſimum. Paſſim pro continente accipitur contentum, & pro contento continens. *Nunc pateras libate Iovi.* Quis neget ibi *pateras* poni pro vino quod in pateris? Hoc enim libatur, non patera. Rurſus alio loco idē poëta *vina* poſuit pro pateris, vel crateribus, in iſto, *Et vina coronant.* *Poculum* pro vino etiam hiſtorici uſurpant. Unde in Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus, & apud Solinum *poculum* pro potione ponitur. Quod alibi notavimus. An putas ab iſtis figuris abhorruiſſe tuum Hippocratem? Non id putem te putare, qui ſciam te ſcire οὔρου ἀπόληψιν paſſim ab eo vocari *urinæ interceptionem.* At idem alibi κύστεως ἀπόληψιν pro hoc ipſo uſurpavit, & κύστιν ἀπεληφθεῖσαν, in Coacis.

Κοι-

Κοιλίην quoque ἀπολειφθεῖσαν dixit in iiſdem, cum tamen proprie nec alvus nec veſica ſoleat intercipi ac ſiſti, ſed quod excrementoſi eſt tam in ventre quã in veſica. Neſcio igitur cur tam ridicula tibi viſa ſit huiuſmodi metonymia. Talem eam tibi ipſi fingis potius, quam ego affingo. Certe quidquid dixeris, & quamcunque in partem te verteris, vix vitabis quin incidas in id, quod fugere te maximo opere præ te fers. Arenulæ quippe in urina ſuppreſſæ, quo ſenſu verba Coi ſenis exponis, non aliter poſſunt intelligi quam de arenis in veſica ſuppreſſis. Ergo τὸ οὖρον, & ἡ κύστις pro eodem, ſi quis ex tua mente verba illa velit interpretari. Addis ſtatim, *te tantum dixiſſe vocem* οὖρον, ita enim ſcribendum non οὔρον, *etiam ſumi pro ſero in veſica antequam excretum ſit.* Eſto id dixeris tantum. Sed οὖρον cum eo interpretamento quo in urina arenulæ ſiſti dicuntur, pro veſica metonymicῶs accipi debet atq; intelligi, quatenus tam ipſa urina quam arena in ipſa veſica continentur. Nonne medici veſtri cum de hypoſtaſi urinarum iudicant, aut de ea diſputant qualis ſit, quidquid eſt urinæ iam emiſſæ ex qua iudicium facere debent, in tres partes eam dividunt, & eas partes, præcipue infimam,

mam, ad matulam ipſam referunt? Ita has partes urinæ faciunt, πυθμένα τῆς ἀμίδος, ἐπιφάνειαν, & quod inter utraque hæc extrema medium eſt. Ὑποστάσεις pertinent ad fundum matulæ, in quo & ſubſidunt, & inde nomen. Νεφέλια dicuntur quæ verſus ἐπιφάνειαν ſive ſuperficiem aſcendunt, ἐναιωρήματα autem in medium horum duorum περάτων quaſi libramento vergunt. Hæc non doceo te, ſed oſtendo ὑπόστασιν urinæ dici quæ in fundo vaſis urinarii pōdere ſuo depreſſa ſubſidit, & ex ratione ἀμίδος cuius in fundo illa ὑπόστασις ſubſiſtit ab auctoribus id explicari. Sic enim ſcribunt: Τοῦ τοίνυν διαστήματος τοῦ χύματος τριχῆ διῃρημένου, εἴς τε πυθμένα δηλονότι τῆς ἀμίδος, καὶ ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ τῶν ἀμφοτέρων τούτων περάτων, τὰ μὲν πρὸς τὸν πυθμένα τῆς ἀμίδος χωροῦντα παρυφιστάμενα, ὑποστάσεις ἔφασαν οἱ περὶ τὰ τοιαῦτα σοφοί, ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι δηλονότι, τῆς ὑπὸ προθέσεως δεδηλωκύας τὴν κάτω σχέσιν. Alexander Trallianus lib. VIII. capite de renum inflammatione, καὶ τὴν ὑπόστασιν ὑφιστάνουσαν εὑρήσεις ἐν τῷ πυθμένι τῆς ἀμίδος. Non aliter autem urina eſt in veſica, quam in matula. Si arenæ cum urina profuſæ in fundo matulæ ſubſidunt ubi iam reddita eſt, dum illa adhuc intra veſicam continetur eædem arenæ in

fundo

fundo ipso vesicæ quoque ὑφίσανται. Ergo si ratio habetur matulæ & eius fundi ad hypostasin urinæ designandam, quia in eo subsidit, pari iure vesicæ etiam fuerit habenda de iis arenis quæ subsidunt in urina quæ vesica continetur. Hinc vides arenas, quas in urina quam vesica continet sisti dicis, posse etiam dici in vesica sisti. Perinde itaque sit *urinam* hoc sensu dicere & *vesicam*, nisi quod sententia hoc modo enuntiata etiam clarior & apertior. Sabulum in urina si dicã esse suppressum, non tam facile aliquis intellexerit de sabulo quod moratur in vesica, quam si suppressum in vesica ipsa significavero. Iam igitur, si quid sentio, sentis ipse nihil me tibi adfinixisse quod ridiculum adeo videatur, quin illud ipsum ex tua illa interpretatione sine vi ulla elici possit. Sed de his plus satis. Quod autem tantopere laboras, ut probes οὖρον etiam Hippocrati sumi pro urina quæ nondum reddita est, nihil erat opus tanta mole. Nec de ea re unquam dubitavi. Alioquin nescivissem quod etiam pueri sciunt, οὐροδόχον κύστιν dici quæ urinam continet nondũ emissam haud minus, quam οὐροδόχον ἀγγεῖον de matula qua iam emissa excipitur. Ignorassem præterea, quod tamen non ignoro,

οὐρη-

οὐρητῆρας appellari meatus, per quos urina à renibus in veſicam evolvitur, & rurſus οὐρητῆρα dici illum canalem quo è veſica educitur, quam οὐρήθραν auctores communius appellant. Hippocrates vero, & Ariſtoteles etiam οὐρητῆρα nominant. Non magna tamē hęc eſſe argumenta tute fateâris oporteat, ut οὖρον probetur de interno humore non minus appellari, quod ubi eiectum eſt, id nomen magis proprie habet. Quid enim vetat οὐρητῆρας ideo appellatos huiuſmodi διεξόδους lotii, quia humor ille per eos tranſit, cui eiecto demum extra corpus appellatio οὔρου hæret? Sudoris eadem ratio eſt atque urinæ. Serum eſt humorum quamdiu intra corpus retinetur, ubi extra corpus manavit per πόρους quos ἱδρωτικοὺς liceat vocare, tum ἱδρώς, ſudor vocatur. Idem eſt & de οὔρῳ, cuius πόροι etiam οὐρητικοὶ nominantur, quia οὖρον eſt poſtquam per eos tranſiit, & foras exiit. Scio vos medicos duplicem οὔρησιν ſtatuere, unam renalē & internam, quæ & φυσικὴ eſt: alteram veſicalem & externam, quæ προαιρετική. Hæc urinam à veſica eiicit per fiſtulam colis, ex arbitrio animalis. Illa è renibus in veſicam demittit, ſolo naturæ ductu citra animalis voluntatem. Verum illam geminam οὔρησιν, quod ex Hip-

Hippocrate veſtro adſtruitis, id non probo. Ubi enim Hippocrates οὔρησιν appellavit renum minctionem, vel urinæ ductum è renibus in veſicam? Non alia eſt apud eum οὔρησις niſi περιφερικὴ & externa, quæ extra veſicam proijcit urinam, vel in terram, vel in matulam. An potes Hippocratis locum afferre unde aliter conſtet, & ex quo illa renalis οὔρησις ab eo ſic vocata demonſtretur? Vulgo affertis locum ex ſexto Vulgarium ubi hęc verba, Τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον· ἆρα ὅτι θερμότεροι; *In pueris poſt mictum magis concretio fit. An quod calidiores ſunt?* Quæſitum ab interpretibus notat Galenus commentario ad illa verba, cur addiderit Hippocrates μετ' οὔρησιν, cum ſatis eſſet dixiſſe, τὸ σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον. Sermo enim eſt de pueris calculoſis, quibus hunc morbum magis familiarem ac frequentem eſſe quam ſenioribus, ibi aſſerere viſus Hippocrates. Non ſimpliciter autem medicorum princeps pueros magis calculo laborare quam ſenes ibi dicere voluit, ſed veſicæ λιθίασιν crebrius ipſis accidere, ut grandioribus natu, renum. Ergo Cous ſenex τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν de calculo ſive πώρῳ qui in veſica naſcitur intellexit, & ſic eum intellexiſſe ibi obſer-

vavit

vavit Galenus, cuius hæc verba ſunt: Διὰ τί οὖν προσέθηκε μετ' οὔρησιν, καὶ οὐχ ἁπλῶς εἶπε τὸ ξύναγμα παιδίοισι; ὅτι περὶ τῶν ἐν τῇ κύστει λίθων τὸν λόγον ποιεῖται νῦν, οὐ τῶν ἐν τοῖς νεφροῖς. γίνεται γὰρ ἡ σύστασις τῶν μὲν ἐν τῇ κύστει λίθων, μετὰ τὴν οὔρησιν, τῶν δ' ἐν τοῖς νεφροῖς περὶ τῆς οὐρήσεως. Non diſtinxit eo loco Galenus de minctione renali aut veſicali. Non aliter quippe accepit οὔρησιν quã vulgo tunc accipi ſolita ab omnibus Græce loquentibus, & ab ipſo Hippocrate paſſim accipitur. Tu vero doctiſſime Bevervici, in opere tuo nunquam ſatis commendando de Calculo cap. VIII. verba illa Galeni ita exponis, *in rene quidem cum ante cœptam duci urinam, quod eſt Hippocrati* περὶ οὐρήσεως, *coagmentatum illic ſabulum in veſicam illabitur, ibique corticatim augetur.* Quod ais de Hippocrate, quaſi dixerit περὶ οὐρήσεως in rene gigni calculum, non puto id apud eum legi. Sed verba ſunt Galeni Hippocratem interpretantis, qui illa in commentario ſuo poſuit. Cum enim Hippocrates τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν appellaſſet concretionem calculi quæ in veſica fit, ex eo Galenus intulit, quæ fit in renibus eam περὶ οὐρήσεως fieri. Quod ſane neceſſario conſequitur. Non tamen uſpiam puto id extare in ſcriptis Hippocratis. Sed cum doceat

ceat te in his magis verſatum eſſe quam ego ſim, fortaſſe non te fugerit, quod me latuit. Quæro deinde quid ſit *ante cœptam duci urinam* quod in Græco eſt, πρὸ οὐρήσεως? Ego ſimpliciter vertiſſem, *ante excretam urinam*. Addis ſtatim: *In ipſa autem veſica generationis principium habet perfecto urinæ ductu, quod eſt* μετ' οὔρησιν *apud Hippocratem, cum ipſa per ſe fit coagmentatio lapidoſa, quam vocat* τὸ σύναγμα. Nec etiam illa intelligo, *perfecto urinæ ductu*, cum tamen videar optime intelligere Græca μετ' οὔρησιν. Capite VII. ubi de eadem re tractas, & hęc explicas, ſcribis *Hippocratem docere, puerorum calculum coagmentari* μετ' οὔρησιν *perfecto urinæ ductu qui fit in veſica*. At ego putarem ductum illum urinæ, quem perfici dicis in veſica, plane urinam è veſica educere. Non enim aliam ſuadeant ſententiam verba Græca μετ' οὔρησιν. An ergo cum illis ſentis qui duplicem οὔρησιν conſtituunt, una quæ fit ex renibus in veſicam, altera quæ ex veſica in matulam? Ita ſane videris exiſtimare, ſi recte orationis tuæ ductum capio. Mihi tamen falſa videtur hæc interpretatio, cum ſciam οὔρησιν apud Hippocratē, ſed nec apud Galenum, aliam minctionem ſignificare pręter eam, quæ ex veſica urinam expellit foras. Nec

verbum οὐρεῖν medici aliter accipiunt quā hoc sensu, nec οὔρημα quam de urina effusa. Certe vix etiam οὖρα. Ergo nec οὔρησις. Unde οὔρησις δυσκολαίνουσα Hippocrati quæ difficulter procedit urinæ excretio. Quid igitur illud erit quod ait magister unicus ille vester τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα in pueris fieri, id est, concretionem calculi in vesica? Cur ita appellavit vesicæ calculum, sive πῶρον; Nam Galenus in Glossis Hippocrateis σύναγμα, πῶρον interpretatur, dum ad hunc locum alludit, & in ipso commentario, πωρώδη λίθον. Certe id luculenter potest ex ipso Hippocrate explicari, qui in libro IV. de Morbis hanc ipsam lapidis in vesica puerorum generationem explicat. Comparat illud σύναγμα ferro quod in fornacibus excoquitur ac purgatur. Cedente foras retrimento & scoria, ferrum intus remanet purum, solidumque ibi redditur. Sic, inquit, se habet fæx sive sedimentum in vesica pueri ex quo calculus cogitur. Dum pituitæ gluten accedit ad eas partes quæ pro materia calculo sunt, coagmentandas, id quod ab urina colliquefactū est, cum ea excernitur, ipsum autem sedimentū in vesica residet, condensatur, ac solidescit veluti ferrum. Οὕτω δὴ, καὶ ἡ

ὑπο-

ὑποστάθμη ἐν τῇ κύστει κόλλης γινομένης τοῦ φλέγματος, ἐξουρέεται τηκόμενον ὑπὸ τοῦ οὔρου, αὕτη δὲ συμπίπτει, καὶ πυκνὴ γίνεται, καὶ στερεοῦται ὥσπερ σίδηρος. Ergo, ut ex his verbis luce liquidius eſt, poſt excretam demum urinã fæx illa quæ pituitæ opera conglutinatur, concreſcit & ſolideſcit in lapidẽ. Nam quamdiu urina in veſica eſt, calore humido materiam illam quaſi diluit, & liquefacit, ubi eiecta eſt dureſcit ipſa per ſe calore ſicco, atq; in lapidem coagulatur liquidiore excremento expulſo quo impediebatur iſta condenſatio. Ut in ferro quod in fornace ignibus vehementioribus excoquitur ac ſtringitur, pars liquidior ab igne colliquefacta cum ſcoria exit, ipſum ferrum ſolidum, denſumque in igne remanet. Non iam obſcurum eſt cur dixerit Hippocrates τὸ συνάγμα ſive πῶρον, qui in veſica concreſcit poſt excretam demum urinam, concreſcere & cogi, hoc eſt, μετ' οὔρησιν. Inde ſequitur calculum qui in rene naſcitur, concreſcere & συνάγεσθαι πρὸ οὐρήσεως. Quod tamen Hippocrates non dixit, ſed Galenus per conſequentiam ex eo ſcito Hippocratis collegit. Certe qui gignitur lapis in renibus, eodem modo coagulatur ibidem, quo & in veſica, ſed πρὸ οὐρήσεως, ante eiectam nimirum è veſi-

ca urinam. Simulatque enim humor saccatus è renibus descendit in vesicam, calculosa materia quæ in renibus est, in lapidem & ipsa condensatur, expulso humore calido qui coagulationem prohibebat, ut & in vesica. Hoc fit περὶ ἐρήσεως, quia non statim ubi urina in vesicam è renibus prolapsa est, è vesica etiam eiicitur. Cum minutatim è renibus descendat, non prius ad eam è vesica proiiciendam proritatur animal, quam ab ipsa copia quæ iam vesicæ molesta sit, provocetur. Minus itaque mihi verisimile videtur quod posuisti ibidem, totidem verbis. *Etsi*, inquis, *nephritis auctore Hippocrate, ante pubertatem non oritur, ergo pueri quorum calculos idem* VI. *Epid.* III. *coagmentari docet* μετ᾽ οὔρησιν, *perfecto urinæ ductu qui fit in vesica*, προϋπάρχον *sive rudimentum non traxere ex renibus. Namque alias nephritin passi fuissent ante pubertatem.* Non video consequentiam, qualem ex tua conclusione oriri vis. Coagmentatur in vesica puerorum calculus à crassamento quod in ea subsidit, ac fæce humoris ex renibus in illam delapsa, cui cum accedit pituita quæ vice glutini eam condensat ac cogit, ubi quod ex ea liquidius est cum urina foras eiectum fuit, tum tota illa coagulatio indurescit, & in lapidem

dem cogitur. Non igitur inde ſequitur τὸ προϋπάρχον & rudimentum non trahere pueros ex renibus ex quo illud σύναγμα in veſica fiat. Contra enim eſt. Omnia ex renibus in eam deſcendunt, ut etiã diſerte tradit Hippocrates lib. IV. de Morbis. Ipſa etiam arenoſa, quod vocat ὁπιὸν τὸ ψαμμῶδες è renibus in veſicam illabi dixit ex quibus lapis in veſica formatur. Cur autem ætate provectioribus in rene calculus frequentius gignatur, & pueris in veſica, docet Galenus latius in commentario ad ſupra citata Hippocratis verba. Nec ibi quidquam affert quo nobis conſtare poſſit, pueros quibus in veſica lapis concreſcit, nihil trahere ex renibus unde illud σύναγμα contrahatur. Sed hæc non meæ ſunt diſcuſſionis, & alio pertinent. Satis eſt mihi hoc quidem in loco monſtraſſe οὔρησιν apud Hippocratẽ nunquam ſumi pro ea ſeri percolatione, quod è renibus in veſicã perpetim deſcendit, ſed pro illo tantum quod de veſica in matulã profunditur urinæ χύμαλη. Sic Aphoriſmo LXIII. ſect. IV. Οὔρησις νύκτωρ γινομένη, σμικρὴν ὑποχώρησιν σημαίνει. Hoc eſt, ut vertit vetus interpres, *urina noctu multa facta modicũ ſeceſſum ſignificat.* Nec ergo aliter μετ᾽ οὔρησιν apud eundem loco allato exponendum

 quam

quam de urina facta, hoc est, proiecta ex vesica. Certe non tam quæstio hic agitur, ubi omnia quæ pro me afferre possum dixero, utrum οὖρον aliquando appelletur de humore qui adhuc intra corpus retinetur, quam in hoc ipso Aphorismo Hippocratis, quomodo accipi & intelligi debeat. Editur vulgo in Hippocrate, ἐν τῷ οὔρῳ. Sed meliores libri, & ipse Galenus in commentario ad Aphorismos, ubi textum Hippocratis semper præposuit, legitur ἐν τοῖσιν οὔροισιν. Nec aliter veteris versionis auctor videtur legisse, quę penes me est. Reddit enim: *Quibus in urinis arenæ subſtant*, ἐν τοῖσιν οὔροισιν. Et sic alibi passim loquitur auctor ille. Ut in libro de Natura hominis, ὁκόσοισι ἢ ψαμμώδεα ὑφίσταται, ἢ πῶροι ἐν τοῖς οὔροισιν. At τὰ οὖρα apud Hippocratem numero multitudinis enuntiata ac absolute sic posita, urinas semper denotant iam eiectas, nunquam eiiciendas. Produc, si potes, vel unum locum ubi τὰ οὖρα aliter acceperit. At τὸ οὖρον in numero singularitatis tam redditam quam intra vesicam hærentē designat. Aristoteli οὖρον tum dicitur, cum ex renibus fusa in vesica subsedit. Τὸ τοιοῦτον ἐν τῇ κάτω ὑποστάσει οὖρον καλεῖται. Tunc excretioni propior. Non ergo οὖρον est antequā in vesica subsede-

sederit. At τὰ οὖρα semper de excreta. Hinc & ποτήρια οὔρων Græci dicunt non ποτήριον οὔρου Alexander Aphrodisæus vocat in Problematis, ποτήριον τῶν οὔρων, vas urinarũ. Hippocrates autẽ tuus κύστιν οὔρου vocat, non κύστιν οὐρίων, vesicam urinæ sive urinariã, in libro de Morbis internis. Possẽ, si hoc ageretur, & alia plura huius rei testimonia tibi adducere. Sed tuũ est, si hoc negas, vel unum dare in quo τὰ οὖρα dicantur de urina cõsistente intra vesicã. Nollem ut demonstrares οὖρον etiam sumi de urina quæ in vesica subsistit, locum Galeni à te allatum ad VI. Hippocratis ἐπιδημιῶν, ex quo infers οὖρον ei dici quasi ὀῤῥὸν, & urinam illam quæ in vesica continetur serum esse humorum. Profecto nec hoc ibi dicit Galenus, ut iam planum tibi faciam, & si urina serum est tantum quamdiu in vesica manet, non video cur serum videri non possit, etiam postquam reddita est. Qua enim in re, quæso te, differt urina vesicæ iam effundenda ab ea quæ effusa est? Sed locum Hippocratis ex sexto ἐπιδημιῶν videamus, & verba ad eum Galeni ex eius commentario. Γλῶσσα, inquit Hippocrates, οὖρον σημαίνει, γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες. Eum locum explanans Galenus optimus Hippocratis interpres, non dicit οὖρον, id est,

urinam esse quasi ὀῤῥὸν, & hoc urinæ, vel οὔρυ esse etymum, quia serum sit, id est, ὀῤῥός. Immo plane distinguit ὀῤῥὸν τῶν χυμῶν, id est, serum humorum, ab urina, id est, οὔρῳ, ac docet duas interpretationes ea verba Hippocratis admittere posse: unam qua οὖρον accipiatur, inquit, id quod proprie sic vocamus, & quod singulis diebus reddimus: alteram, ut pro ὀῤῥῷ intelligatur, id est, τῶν χυμῶν ὀῤῥῷ. Verba Græca qui mihi aliter explicare poterit, Hippocrate mihi maior esto. Sic igitur se habent in Græcis: Τὴν γλῶτταν φησὶ σημαίνειν ὁποῖόν ἐστι τὸ οὖρον, ἤτοι τὸ κυρίως οὕτως ὀνομαζόμενον, ὃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποκρίνομεν, ἢ τὸν τῶν χυμῶν ὀῤῥόν. *Linguam dicit significare Hippocrates quale sit* τὸ οὖρον, *hoc est, vel illud quod sic proprie appellatur, & singulis diebus excernimus, vel serum ipsum humorum.* Subiicit rationem Galenus cur utrovis modo queat exponi. ἑκατέρυ δὲ, inquit, ὁ λόγος ἐπὶ τὴν τοιαύτην ἄγει διάνοιαν, ἡ γάρτοι γλῶττα τῆς ἐν τοῖς χυμοῖς διαθέσεως ἐστὶ δηλωτικὴ, καθάπερ καὶ τὰ οὖρα. *Vtriusq; notionis ratio ad eam sententiã ducit. Lingua enim ita indicat humores corporis quales sint, & quomodo sese habeant, ut urina.* Nõ dicit ibi Galenus οὖρον, id est, urinam intra vesicã vel in renibus adhuc subsistentem indicium facere de humoribus,

bus, ut ſeſe habeant, ut tu velle videris interpretari. Sed nec οὖρον, ſive urinam, eſſe tanquam humorum ſerum, τῶν χυμῶν ὀῤῥὸν, ſignificat, uti etiam accipis. Utrumque enim falſum. Non ex urina quæ intra corpus latet, dignoſcitur ac diiudicatur qualitas & habitus humorum. Denique nec hæc mens eſt Hippocratis hoc loco, ex lingua indicium ſumi de urina ſive adhuc intra corpus conſiſtente, ſive extra emiſſa, ſed hoc tantum vult, linguam præſignificare quales ſint humores in corpore. Quod ſequitur id plane oſtendit: γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες, ἐρυθραὶ ἢ ἀφ' αἵματος, μέλαιναι ἀπὸ μελαίνης χολῆς, λευκαὶ ἀπὸ φλέγματος. *Linguæ quæ luteæ ſunt, bilem indicant in corpore exſuperare. Rubræ ſanguinis exuberantiam teſtantur. Nigræ atram bilem denuntiant, quæ albæ ſunt à pituita abundante eum colorem induerunt.* Ubi igitur illud quod hic adſtruis οὖρον Galeno dici quaſi ſerum, & οὖρον urinam ſignificare? Si quis ita interpretaretur, *lingua indicat qualis ſit urina*, nonne ludibrium deberet, ut tua tibi reddam, non ſolum medicinæ theoricæ peritis, ſed etiam in arte exercitatis? Et tamen quidam ſic converterunt, *lingua indicat quale ſit lotium.* Quod eſt ineptiſſimũ falſiſſimumque. De urina quip-

pe nihil ſequitur apud Hippocratem, ſed de quatuor humoribus quibus tanquã elementis corpus humanũ conſtat, bile utraque, ſanguine, & pituita. Hos χυμοὺς vocant medici, & horum χυμῶν ὀῤῥῷ linguam ita infici docet hic Hippocrates cum Galeno, ut de abundantia cuiuſque humoris in corpore exuperantis, linguæ color indicium ferat. Cur igitur hic ad ea verba Galenus οὖρον ſive de urina, ſive de ſero humorum accipi poſſe docuit, cum urinæ ſignificatio tam male illius loci ſententiæ conveniat, ut ex his quæ diximus, conſtat? Non ita certe verba Hippocratis aut Galeni ſunt accipienda, ut tu exiſtimas, nempe de urina quę veſica continetur. Nec iſta Hippocratis eo loco mens eſt, τὸ οὖρον eſſe ὀῤῥὸν τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. Sed nec Galenus ita exiſtimavit in duabus illis τοῦ οὔρου de urina aut de ſero humorũ ſignificationibus, ſic licere verba Hippocratis interpretari, ut lingua de urina qualis ſit edat indiciũ ac teſtimoniũ reddat. Hic eius ſenſus nimirum fuit, quẽ vos magni medici non eſtis aſſequuti. Aut, inquit, οὖρον ibi ſignificat τὸν ὀῤῥὸν τῶν χυμῶν, hoc eſt, ſerum humorum, bilẽ nempe utramq;, ſanguinem & pituitã. Hac ſignificatione Hippocrati, ἡ γλῶσσα οὖρον σημαίνει, *lingua indicat ſerũ humorum.*

morum. Hoc eſt, quale ſit humorum ſerum. Non qualis urina, ſed quales illi ipſi humores de quibus ſequitur, χολὴ, αἷμα, μέλαινα χολὴ, & φλέγμα. At ſi pro οὔρῳ ſic proprie ὀνομαζομένῳ ſumatur, ὃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποκρινόμεν, ut ait Galenus, *pro urina quæ ſic proprie vocatur, & quam quotidie reddimus*, tum aliter fuerit diſtinguendus locus Hippocratis, hoc nempe modo. Γλῶσσα, οὖρον, σημαίνει. *Lingua, urina, ſignificant*. Id eſt, tam ex lingua quam ex urina indicia capiuntur. Quarum rerum? Id explicat ſtatim in his quæ ſubiicit, γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες. Ergo ex linguæ coloribus indicia fiunt humorum. Nec minus ex urina. Quomodo? οὖρα nimirum χλωρὰ χολώδεα, ἐρυθρὰ ἀφ' αἵματος, μέλανα ἀπὸ μέλανος χολῆς, λευκὰ ἀπὸ φλέγματος. Hanc eſſe Hippocratis ſententiam in verbis ſupra poſitis, ſi τὸ οὖρον accipiatur pro οὔρῳ ita proprie vocato, expreſſe ipſe Galenus ſignificat his verbis, ἡ γάρτοι γλῶττα τῆς ἐν τοῖς χυμοῖς διαθέσεως δηλωτική ἐστι, καθάπερ καὶ τὰ οὖρα. *Lingua enim habitudinis humorum indicatiua eſt, haud ſecus atq; urinæ*. Sic ergo intelligenda illa verba Hippocratis, γλῶσσα, οὖρον, σημαίνει. *Lingua, urina, indicatiua ſunt*. Ita ἀσυνδέτως concepta ex genio ac ſtilo eſſe Hippocratis, facile agnoſcet in eius ſcriptis

ptis tribacus lector. Quomodo aut cuius rei lingua est indicativa? Id sequentia declarant, quæ statim subiiciuntur, γλῶσσαι χλωραὶ χολώδεες. Ex duabus Galeni interpretationibus hanc unam propemodum esse veram ausim affirmare, quæ οὖρον in proprio significatu accipit pro urina cum ea distinctione & explicatione quam attulimus. Ut enim οὖρον in eo loco sumatur pro urina quæ nondum est emissa dum adhuc serum est, vix obtinebis, ac ne vix quidem. Quid enim falsius foret hoc scito, linguam indicare de urina qualis sit? Ita quippe οὖρον de sero intellexisse mihi videris, ut urina sit in vesica quæ & serum nominatur. Quod longe abest à mente Hippocratis tui. Et tamen hæc tua verba sunt, ne me falsam iterum interpretationem tibi affinxisse dicas. *Id tantum dixi, vocem οὖρον, etiam sumi pro sero in vesica antequam excretum est.* Et paulo post: *Sed serum illud, antequã emissum, οὖρον vocari, ipsum Hippocratem auctorem dabo.* Deinde adiungis verba quasi ex Galeno, τὸ οὖρον ὡς ὀῤῥὸς ἐστὶ τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν. Hæc verba quidem sunt Galeni ex primo commentario ad tertium ἐπιδημιῶν Hippocratis, ubi docet, ex ipsius Hippocratis sententia οὖρον esse ὀῤῥὸν τῶν κατὰ φλέβας χυμῶν, id est, serum sanguinis.

guinis. Hic enim humor venis continetur. Cum enim ibi dixisset Hippocratem quattuor χυμοὺς agnovisse, utramque bilem, pituitam quæ humida est ac frigida, & quartum, ἀδηκτότατον ὂν, καὶ μάλιστα ἡμῖν οἰκεῖον ἡμῖν τὸ αἷμα, *minime acrem, & familiarissimum nobis sanguinem*, addit καὶ μέντοι, καὶ ὡς ὀῤῥὸς ἐστὶ τῶν κατὰ τὰς φλέβας χυμῶν τὸ οὖρον αὐτὸς ἡμᾶς ἐδίδαξε. Solius sanguinis serum esse urinam quæ statim adiicit ostendunt, ὥστε εὔλογον ἐστὶν ὅταν αἷμα πλέον ἡμίπεπτον ᾖ καθαιρόμενον δι' οὔρων ἐρυθρὰ ταῦτα ἐργάζεσθαι. *Vnde & rationis est, quando sanguis semicoctus fuerit, dum per urinas purgatur ac saccatur, rubras eas efficere.* In definitionibus medicis οὖρον ita definit, ἐστὶ περίηθημα τοῦ αἵματος ἐν τῇ μεγάλῃ φλεβὶ καταφερόμενον διὰ νεφρῶν, καὶ οὐρητήρων ἐν τῇ κύστει. *Sanguis est humor liquatus ex sanguine in maiore vena per renes, & ureteres in vesicam descendens.* Inde Lucretio *saccatus corporis humor* vocatur, quia περίηθημα est; sed ex solo sanguine. Sed quod οὖρον sit ὀῤῥὸς sanguinis qui venis continetur, nihil facit ad explicationem loci alterius Hippocratis ex VI. ἐπιδημιῶν, ubi scribitur, γλῶσσα οὖρον σημαίνει. Non enim de solo sero sanguinis linguã indicium facere vult auctor, sed etiam de aliis. Ridiculum quippe esset, si eum locum ita intelligeremus, quasi

quasi per linguam de urinis quales essent indicium fieri scripsisset Hippocrates. Id, inquam, absurdum. Et tamen ita esset exponendum, si vera est ea sententia qua statuis non solum οὖρον esse ὀῤῥὸν τῶν χυμῶν, sed etiã de illo ὀῤῥῷ, id est, urina, vel solo sero sanguinis exponenda esse summi semonis vestri verba. Si οὖρον, ut dixi, eo loci accipiatur de urina, tum ita accipi oportet ut ostendimus, adhibita quam posuimus interpunctione. Ut nimirum lingua haud secus ac οὖρον de humorum διαθέσει signum dare idonea sit. Si humor bile exuperante peccat, indicium eius rei proditur lingua, quę tum χλωρὰ est: si sanguis exundat in venis, hoc etiam vitium significatur lingua quæ rubra est. Atque ita de cæteris. Hoc etiam præstant urinæ. Quod & Galenus lib. IV. de Sanitate tuenda optime expressit, ubi signa quæ ex sudore capiuntur comparat cum his quæ ex urinis licet capi. Notatque hanc inter ea differentiam, quod sudor τῶν καθ' ὅλον τὸ σῶμα πλεοναζόντων χυμῶν ἐστὶ γνώρισμα, *indicium præbet humorum toto corpore superfluentium.* At urina eorum solum, quę in vasis continentur, indicium prodit: τὸ δ' οὖρον ἐκείνων μόνον, ὅσοιπερ ἐν τοῖς ἀγγείοις περιέχονται. Hoc explicat post paulo ubi dicit, urinam exacte

exacte denotare qualis ſit in venis ſanguis. Si bilioſus eſt, inquit, oportet & ſerum eius, id eſt, urinam talem quoque apparere, Et ſic de cæteris. Δηλοῖ γὰρ, inquit, ἀκριβῶς ὁποῖον τὸ ἐν ἀγγείοις ἐστὶν αἷμα. χολώδους μὲν οὖν ὄντος, ἀναγκαῖον ἐστὶ καὶ τὸν ὀῤῥὸν αὐτοῦ χολώδη φαίνεσθαι καθ' ἑκατέραν τῆς χολῆς ἰδέαν. ὁμοίως δὲ ἔτι, καὶ φλεγματώδους ὑπάρχοντος. Cum vero ſanguis ipſe abundat, & venę ex eo laborant, urinas ex eo rubras vel ſanguineas apparere ipſe Hippocrates in libro de Natura humana docet, ὁκόσοισι δὲ αἱματώδεα μόνον τὰ οὐρήματα, τουτέοισιν αἱ φλέβες πεπονήκασιν. Ubi tamen dubitat Galenus de quo φλεβῶν πόνῳ intelligi debeat. Ut ergo χολώδης urina indicat χολὴν in venis abundare, qua ſanguis vitiatur, ita χολώδης γλῶσσα eiuſdem rei edit indicium. Hoc ergo eſt quod voluerit Hippocrates, ſi οὖρον eo loco accipiamus pro urina in propria nimirum ac ſua ſignificatione, cum hac etiam interpunctione, γλῶσσα, οὖρον, σημαίνει. Quæ, ut iã docui, omnino mihi vera videtur cũ interpretatio, tum interpunctio. Sin vero legamus ut vulgo diſtinguunt, γλῶσσα οὖρον σημαίνει, tum locũ habebit altera Galeni expoſitio, qua οὖρον interpretatur de ὀῤῥῷ, id eſt, ſero omniũ humorũ qui in venas redundant, ſanguinis, bilis utriuſque, & pituitæ.

Cuius

Cuius redundantiæ indicium eſt in lingua. Et recte cum hac notione nominis ὖρον, cumque tali diſtinctione, vertunt interpretes, *Lingua ſerum humorum quale eſt indicat.* Cur non ὖρον recta reddunt, *urinam*? Sane quia id ineptum & abſurdum eſt. Nam de urinis quales ſint non indicat lingua. Potius eſſet vertendum, ſed adhibita quam diximus interpunctione, γλῶσσα, ὖρον, σημαίνει, *lingua, urina, indicant.* Id eſt, lingua haud minus quam urina indicium facit. Qui ὖρον hîc pro ὀῤῥῷ accepere, quæ altera eſt Galeni ex duabus quas locum illum recipere poſſe docuit expoſitionibus, putarunt ὖρον Ionice eſſe pro ὀῤῥῷ. Sane veteres cum unico rho dicebant ὀρὸν. Unde Romani ſuum *ſerum* fecerunt, addita ſigma vice lenis adſpirationis, ut in multis. Sic *Si* ex εἰ fecerunt, & alia multa. Pro ὀρὸς Ionice οὖρος, ut ὅρος qui terminus eſt, οὖρον dixere. Ex illo porro Ionico Aeoles, qui ſolent mutare alterã vocalẽ diphthongi in ſequentem conſonantem, dixere ὀῤῥὸς pro οὖρος, ut πέῤῥω dicunt pro πείρω ἱμέῤῥω pro ἱμείρω, & ſimilia. Illo porro Aeolico Ὀῤῥὸς communis dialectus & reliquæ poſtea uſæ videntur, ne cum οὖρος vel οὖρον confunderetur, quæ nomina aliud ſignificant ipſis. Vix credo tamen Hippocratem

cratem hoc loco ὄρον pro ὀῤῥῷ uſurpaſſe, quia in aliis locis ὀῤῥὸν ſolet dicere non ὄρον pro ſero. Nam & ὀῤῥὸν πίσσης nominavit, quod τὸ ὑγρότατον eſt in pice, quod πισσέλαιον aliis dicitur, & ὀῤῥὸν γάλακτος pro ſero lactis dixit lib. IV. de Morbis, id eſt, quod ὑφίσταται τοῖς ἀποτυρουμένοις ut Gręci explicant. Eo loco Hippocrates quatuor humores ex quibus homo quaſi ex elementis conſtat, τὸ ὑγρὸν inquam illud omne quod quadrifariam diviſum eſt in humano corpore, non ὀῤῥὸν appellat ſed comparat lacti equino ex quo ſuam ἱππάκην conficiebant Scythæ. Lac illud coniectum in vas concavum ligneum agitabant. Sic agitatum turbatumque ſpumabat ac ſeparabatur in partes. Pingue, quod vocabant βούτυρον, ſupernatabat, quia levius: gravior pars ſubſidebat. Eam concretam ſiccatamque ſervabant. Hic τυρός ſive caſeus. Hæc erat ἱππάκη Scytharum. Serum lactis in medio iacebat, ὁ δὲ ὀῤῥὸς τοῦ γάλακτος ἐν μέσῳ ἐστίν. Addit, idem uſu evenire in homine humoribus commotis, bilem quidem quia leviſſima ſit in ſuperficiem abire: ſecūdo loco ſtare ſanguinem, tertio pituitā, in imo graviſſimā aquā ſubſidere. Ὕδρωπα vocat. Cum partibus lactis ex quo ἱππάκη fit, ſive caſeus Scythicus, aſſimilet

humores corporis, ſero, quod in medium decedit, ſanguinem & pituitam confert. Bilis enim ſimilis levitate βουτύρῳ, hoc eſt lactis pingui. Aqua denſiori parti & graviori, ex qua caſeus coagulatur & denſatur. Ergo ſero, ὀῤῥῷ γάλακτος, comparandus ſanguis cum pituita, qui in medio levitatis ſunt & gravitatis. Nuſquam ſane ὀῤῥοῦ nomine τοὺς χυμοὺς Hippocrates indigetavit. Nec ergo οὖρον hic pro ὀῤῥῷ poſuit, cũ id ὀῤῥὸν ſemper alibi dixerit non οὖρον, ſed in propria notione eam vocem uſurpavit. Veriſſima ergo eſt prior interpretatio noſtra, & diſtinctio, cuius etiam meminit Galenus, quæ οὖρον pro urina ponit, quam miror nemini in mentem veniſſe recentium interpretum, ac neotericorum medicorum, cum ea quã dedimus interpunctione. Ex iſtis noſcere iam potes quantum abſcedat à vera Hippocratis ſententia tua mens, qua οὖρον ita pro ὀῤῥῷ vel ſero ſanguinis accepiſſe viſus es, ut proprie urinam ſignificet. Pergis, ut probes quod non negavi niſi in hoc Aphoriſmo, aut male, ſi forte negavi, οὖρον etiam urinam quæ in veſica eſt ſignificare, quod οὖρα ἀπίσῃ ſæpius dicat Hippocrates de urinis ſuppreſſis. Male ἀπίσῃ legis ubi debet eſſe ἐπίσῃ. Semel, ſed cum vitio legitur in III. ἐπιδη-
μιῶν

μιῶν in his verbis, οὐδὲν ἔτι κατενόει, οὖρα ἀπέστη, ἀπέθανε φρενῖτις. Ubi Foëſius tamen notat in Germanico codice haberi, ἐπέστη. Quæ ſola eſt vera lectio. Unde & ἐπίστασις οὔρων. De quo nos paulo poſt. Ex his ſane loquutionibus contrarium videtur poſſe adſtrui ei ſententiæ, quam ſupra expoſuimus, οὖρα nimirum apud Hippocratem quoties in numero multitudinis enuntiantur, pro urina emiſſa debere intelligi. En hic οὖρα ἐπέστη de ſuppreſſis urinis, & intra veſicam cohibitis! Sic ubique apud eundem auctorem, οὔρων ἐπίσχεσις & ἐπίστασις pro ſuppreſſione urinarum, quæ ſcilicet in veſica retinentur, nec foras eunt. Quod diximus οὖρα in plurium numero eſſe urinas iam emiſſas ac redditas, id veriſſimum eſt, cum abſolute ea vox ponitur. Idcirco Hippocrates nunquam ſolet addere ἐκκρινόμενα aut ἀποκρινόμενα οὖρα, cum de urinis redditis loquitur, ſed ſatis habet docere οὖρα eſſe talia, ἐρυθρὰ, χολώδεα, αἱματώδεα. Quod ſciunt qui in eius lectione utcunq; verſati ſunt. Hinc οὖρα & διαχωρήματα ſæpe iunctim ponit. Sic οὖρα ita ſunt excreti humores, ut διαχωρήματα eiecta ſtercora. Illo οὔρων nomine ſemper effuſam urinam accipere eſt, quamvis nullum verbum adiunctum ſit quo effuſio eius ſignificetur. Eo ſen-

ſu τὰ οὖρα Hippocrati eadem ſunt, quæ οὐρήματα, ut obſervat Galenus in commentario ſecundo ad librum de Natura hominis. In eo libro τὰ οὐρήματα etiam legere eſt, ἀντὶ τῶν οὔρων. Quam loquutionem Hippocrati uſurpatam in aliis ſcriptis, negat Galenus, cum ubique τὰ οὖρα dixerit quæ οὐρήματα ſunt, id eſt, urinæ profuſæ. Idcirco putat verba illa ab alio inſerta eſſe, nec Hippocratis genuina, ὁκόσοισι δὲ αἱματώδεα μόνον τὰ οὐρήματα, τουτέοισιν αἱ φλέβες πεπονήκασι. Sic igitur commentatur ad eum locum Galenus: πρόδηλον δ' ἐστὶ, ὡς οὔθ' Ἱπποκράτης, οὔτε Πόλυβος εἶπεν οὐρήματα, δυνάμενοί γε εἰπεῖν, ὁκόσοισι δὲ αἱματώδεα τὰ οὖρα. καὶ πολλάκις γε πάνυ τι γράφων ὁ Ἱπποκράτης οὖρα κατ' οὐδεμίαν λέξιν εἶπεν οὔρημα. Καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ τῶν παρεγγεγραμμένων ἐνδείκνυται σαφῶς αὐτὰ μήθ' Ἱπποκράτους εἶναι, μήτε Πολύβου. Quidam totum tractatum ſpurium eſſe contendebant nec Hippocratis germanum. Ab his diſſentit Galenus, qui vult tamen nonnulla in eo ſcripto reperiri ab aliis adiecta, & falſo Hippocrati adſcripta. De illis hic locus eſt, quẽ ex voce οὐρήματα, negat Hippocratis aut Polybi eſſe, quia nunquam οὐρήματα illi de urinis iã redditis dixere, ſed ſemper οὖρα. Ergo οὖρα Hippocrati, ubicunque apud eum occurrũt, per ſe poſita in numero plurium,

rium, idem valent quod οὐρήματα. Sic igitur & hic eius Aphorismus, de quo nunc quæstio est, exponendus in istis verbis, οἷσιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσαται, de urinis nimirum iã effusis. Idẽ quippe est ac si dixisset, ἐν τοῖς οὐρήμασιν. At οὖρα etiã apud eundem Hippocratem pro urinis in vesica adhuc hærentibus, cum ex verbo adiuncto id intelligitur. Ut cum οὖρα ἐφίσασθαι dicit, aut ἐπισχεθῆναι, aut ἀπολήφθῆναι. Tum οὖρα quæ excerni debuerant, suppressa & cohibita intelliguntur, & intra vesicam retenta. Sic ἱδρὼς proprie dicitur qui extra cutem erupit, & tamen *suppressum sudorem* æque passim dicitis, ut *suppressas urinas*. Aristoteles οὖρον & ἱδρῶτα ita comparat, ut humorum serum utrumq; esse velit. Οὖρον dici ait, ubi in vesicam iam descendit, mox ejiciendum. Ergo & eiectũ. Inde οὐρεῖν mingere, & οὖρον idem quod οὔρημα. Sic ἱδρῶτα vocari ubi iam in carne est, ἐν σαρκί. Hinc ἱδρῶσαι sudare. Ergo & ἱδρὼς ubi erupit. Dum adhuc percolatur utrumque, serum tantum est, non urina nec sudor. At non tam quæritur hic an οὖρον etiam accipiatur interdum pro humore adhuc intra vesicam latente, quam de eo certatur an ita hoc loco accipiendum sit. Iam ergo tempus est accedamus ad ipsius

Aphorismi Hippocratei interpretationem. Latine redditus talis eius sensus est iuxta tuam sententiam: *Quibus in urinis sabulosa sistuntur, illis vesica calculo laborat.* Mihi miram esse visam talem illius Aphorismi versionem & intellectum non diffiteor, qui nec hoc ipsum dissimulavi in prioribus ad te meis, cum rogasses per litteras quid de eo loco sentirem, deque tua illius loci expositione. *Quid hoc erit,* dicebam in illis, *arenas quæ in vesica sistuntur, hoc est quæ è vesica non exeunt, indicio esse vesisicam calculo laborare?* Tu respondes, *nihil aliud erit, quam verum calculosæ vesicæ signum, quod hic quærimus,* Ergo, repono nunc tibi, *si ita sit, res latens signum erit rei æque latentis.* Ut hoc in animum inducam credere prohibeor omnino contraria σημείου definitione. Quid enim rogo te, *signum est*, nisi rei in operto positæ indicatio, ex re aperta? Apertius dicamus, quamvis fortasse minus Latine: *Signum, res est visibilis, rei invisibilis naturam indicans aut qualitatem.* Ne à medicorum doctrina ac more discedamus, semper illi ex re quæ oculis subjicitur, signa sumunt de rebus quæ oculos fugiunt. Sic sudor res apparens ostendit quales humores in toto corpore abundent. Lingua quæ videtur,

indicio

indicio ſuo prodit humores intra venas latentes. Hoc idem facit & urina, res quippe in conſpectum data, quæ indicat qualitates humorum peccantium quas oculis uſurpare non licet. Ita de reliquis. At hic tu vis æque occultas arenas, intra veſicam nimirum in urina ipſa abditas, de veſicę lapillis, hoc eſt de re nec manifeſta, teſtimonium ferre. Quod quin mihi permirum videatur, temperare non poſſum. Noſti definitionem σημείου apud Galenum tuum in ὅροις medicis, nempe σημεῖον dici, οὗ γνωσθέντος ἕτερον ἀγνοούμενον ἡμῖν γινώσκεται καταλαμβανόμενον. *Signum id eſſe quo cognito aliud quod ignoratum eſt nobis, cognoſcitur & comprehenditur.* Tu vero ex re pariter ignota rem non minus ignoratã cognoſci ac percipi poſtulas. Quomodo igitur ex tuo interpretamento illius Aphoriſmi, calculus qui in veſica abſconditus eſt, calculoſæ veſicæ ſignum præ ſe feret? Cum video acervum cinerum in foco poſitorum, qui poſſum ſcire an ignis illis ſuppoſitus iaceat, ſi ſcintillæ nullæ ex eo emicent? nullus fumus foras prodeat? Quod ſi lateat ignis in illis cineribus nobis inviſus & incognitus, an poſſum pro certo affirmare ignem ſub iis tegi qui non apparet? Sic poſſem dicere ignem latentem intra

cineres indicium dare ignis in illis cineribus occultati, quemadmodum iudico arenas intra veſicam ſubſiſtentes calculoſam veſicam ſignificare. Non igitur fruſtra uſus ſum ignis in foco poſiti & conſiſtentis exemplo ad declarandam ſimilitudinem illarum tuarum arenularum intra veſicam conſiſtentium, & tamen de veſicæ calculo teſtantium. Addidi in Epiſtola, *colligi veſicam λιθιᾶν cum in urina excreta apparent ſubſidentia ſabuloſa.* Tu ad hæc reſpondes, *qui hoc colligit, medicum exercitatis in arte ludibrium debere.* Ain tu? In arte exercitatis ludibrium debet qui colligit ex ſabuloſis in urina reddita ſubſidentibus, veſicam λιθιᾶν? Ergo parum in arte ſua exercitati fuere veteres omnes medici, quorũ ſcripta aliqua ad nos pervenerunt, ne excepto quidem illo tuo Hippocrate. Nam hic ipſe ex ſabuloſis in urina iam profuſa ſubſidentibus argumentum capi calculoſæ veſicæ ſcripſit. Sed hoc in dubium vocas, & aliter quod dixi in Aphoriſmo interpretaris. Atqui non in Aphoriſmo tantum hoc ſcripſit, ſed aliis in locis quæ non poſſis ita interpretari ut Aphoriſmum expoſuiſti. Profecto nec aliter omnes ſequentium ætatum veteres Aſclepiadæ ita intellexerunt, etiam in arte ſua

& ipſi

& ipsi exercitatissimi. Nolles audire Celsum quia parum ille tibi, ut nec aliis, practicus medicus. Sed audi Paulum Aeginetam lib. III. cap. XLV. ubi inter signa τῆς λίθων πήξεως κατὰ κύστιν, *calculorum in vesica concretionis*, ponit, ὑπόστασιν ψαμμώδη, id est, *arenosum sedimentum*. An & ibi ὑπόστασιν ψαμμώδη accipies *de arenis intra vesicam subsistentibus*? Verba eius hæc sunt, ἡ δὲ κατὰ κύστιν λίθων πῆξις, παιδίοις μᾶλλον φιλεῖ γίνεσθαι· σημεῖα δὲ καὶ τούτων, ἄπεπτον τε καὶ ὑπόλευκον οὖρον μετὰ ψαμμώδους ὑποστάσεως. Vides signũ λιθιάσεως vesicæ statui ab illo, cum urina subalbida & cruda, sedimentum sabulosum? Alexander Trallianus in eadem est sententia lib. VIII. dum recenset σημεῖα λιθιάσεως ἐκ τῶν οὔρων. Ut iisdem ferme verbis usus est, ita videtur ea hausisse ab eodem fonte ac auctore. Sic igitur scribit, Σημεῖα λιθιάσεως ἐκ τῶν οὔρων, μάλιστα μὲν ἄπεπτα καὶ ὑπόλευκα τούτοις ὁρᾶται τὰ οὖρα κατὰ τὴν χροιὰν, καὶ ὑπόστασις ψαμμώδης καὶ ψωροειδής. Quid ergo tibi cõmemoro & adnumero minutos istos Asclepiadistas, & non potius illũ magnum tibi Galenum ingero, post Hippocratem cui secundus est, non nemine potiorem ac priorem? Pæne vobis Deus est. Et hic calculosæ vesicæ bene signa peti argumentatur ex subsidentibus in urina iam eiecta

lapillis ſive arenulis. Audi illum cujus auctoritati, qui modo medicus eſt, refragari nullo modo, certe nullo iure, videatur poſſe. Ita ille ſcribit lib. 1. de Locis affectis, φέρε γὰρ ὑποκείσθω παιδίον μὲν τὸ κάμνον, ἔμπροσθεν δὲ αὐτῷ γεγονέναι τὰ τοῦ λίθου σημεῖα, τὸ μὲν οὖρον ὑδατῶδες, ὑποστάσεις δὲ τίνας ψαμμώδεις ἐν αὐτῷ. Calculi hæc argumenta ab eo poni vides pueri calculo laborantis, aquoſam urinam cum ſedimentis quibuſdam ſabuloſis. Si non ei tanquam interpreti credis, ſaltem crede tanquam medico. Hoc enim ibi tanquam medicus dicit. At tanquam interpreti & medico fidem habere debes, dum Aphoriſmum hunc de quo agitur, de ſubſidentibus arenoſis in urina iam excreta interpretatus eſt, non de de ea quæ in veſica reſident. Ut enim defectu laborare concedit illum Aphoriſmum quia de veſicæ tantum lapillis in eo mentio extat, non etiam de renum, aperte tamen cum Hippocrate ſentit, quem & ita exponit, ψαμμώδεις ὑποστάσεις indicium præſtare τῆς κύστεως λιθιώσης. Ad ea verba Hippocratis, hæc ſubiicit in commentatione, οὐ πάντως ἡ κύστις, ἀλλ᾽ ἐνδέχεται καὶ νεφρούς. Hoc nimirum vult non ſolum ſubſidentes in urina emiſſa arenulas arguere veſicam λιθιῶσαν, ſed etiam renes λιθιῶντας.

θιῶνται. Quod & confirmat his verbis ſub finem obſervationis adiectis, ἐάν τε γὰρ ἐν νεφροῖς, ἐάν τε ἐν κύστει λίθοι γίνωνται, συνεξέρχονται τοῖς οὔροις τὰ ψαμμώδη. *Sive enim in renibus exiſtant ſive in veſica calculi, una cum urinis arenacea ſimul exeunt.* Eadem opinio fuit atque idem iudicium medicorum qui ætate Hippocratis vixere, ut ipſe manifeſte tradit. In libro de Morbis internis, de primo genere nephritidis loquens, ait pleroſque medicos qui morbi illius non ſatis eſſent intelligentes, cũ viderent arenas una cum urina eiici, coniectare ſolitos ex veſica illas manare, cum à renibus venirent. Πολλοὶ δὲ τῶν ἰατρῶν οἱ μὴ συνιέντες τὴν νοῦσον ὁκόταν ἴδωσιν τὴν ψάμμον δοκοῦσι λιθιᾶν τὴν κύστιν. Non eos reprehendit quod ex arenoſa eiectione ſignum calculoſi hominis deprehendi poſſe putarent, ſed quod ad reliqua ſigna non attendentes, ſed ad ſolam arenarum excretionem, opinabantur ex veſica procedere, quæ ex renibus deſcenderent. Quid oppones tot medicis, tam antiquis, tantæ auctoritatis, ut & quidam ex illis vobis pro magiſtris ſint, in quorũ verba ni iuraveritis, medicorũ nomine ac titulo vix digni videri poſſitis? Ac de Celſo quidẽ facile patior minoris apud vos ponderis illum auctorem haberi, quia

non medicus de medicina ſcripſit. Ab antiquioribus tamen cum ſumpſerit quę habet omnia, & ab Hippocrate pleraque, non eſt minimi faciendus. Is igitur & calculum fieri manifeſtum dicit, ex urina quæ redditur arenoſa, lib. VII. cap. XXVI. *At calculus arenoſus, & ante manifeſtus eſt, quoniam & urina, quæ redditur, arenoſa eſt.* Parçam plura ex veteribus afferre teſtimonia, quia niſi hæc quæ adduxi, ſufficiant, non video an ulla ſatis ſint factura vobis, quibus experimenta recentiorum pluris fiunt, quam quidquid rancidior antiquitas pro uſu ſuo & praxi poſſit teſtari. Ea paulo poſt examinabimus. Rationem mox addis cur in praxi verſatis medicis ſe deridendos propinaturi ſint, qui colligent veſicam λιθιᾷν cum in urina quam reddidit ſabuloſa ἐν ὑποστάσει inveniuntur. *Non enim modo,* inquis, *in ægrorum, ſed & ſanorum urinis ſabuloſa ſubſidere quotidie obſervant.* Mirabilis omnino ratio qua *ſanos* & *ægros* hic diſtinguis, quaſi λιθιῶντες omnes ægri ſint, & ad ſectorem mittēdi, aut quaſi pro ſanis videantur omnes habendi, qui magnam copiam arenarũ quotidie projiciunt. Ipſe tibi tuus dicet Galenus non hoc eſſe negligendum. Qui putant ſe non ægrotare nec λιθιᾷν. quia ſolas arenas & ſine dolore

quidem

quidem eiiciant, non esse tamen sine periculo, nec debere esse sine metu. Etsi enim isti nullum dolorem neque in renibus neque in vesica patiantur, nisi tamen sibi victu consulant, in morbum poterunt incidere ex illis initiis, & naturæ ad calculum proclivitate, quam testatur arenarum multitudo quam quotidie eiiciunt. Fateberis mihi, propiores esse calculosis qui multa ψαμμώδεα cum urina reddunt quam qui nulla, si modo isti qui nihil arenarum reddunt, ne calculum quidem ullum vel in renibus vel in vesica affixum maiorem ac duriorem habeant, qui manifestus per arenarum ἔκχυσιν non fiat. Cibos esse, quis ignorat etiam non medicus, qui calculum creent, concretum alant & augeant? E contra idoneam victus rationem posse eligi calculo vel rumpendo, vel molliendo, vel minuendo, vel levando? Illi igitur quos pro sanis habes, qui arenularum multam vim cum urina fundunt sine dolore & ægritudine, nisi victu sibi caveant & consulant, facile postmodum ægrescent, & calculosi evadent, si viscosis vescantur cibis, si crassiorem pituitam facientibus, si mali & crudi succi, si lacte, si vini generibus generosioris, utantur: si corpus exercitio non moveant, sed desi-

dem

dem & umbraticam vitam degant. Hæc omnia aliaque plurima vel arenas creare & aggerere quæ non fuerint antea in alicuius corpore possunt, vel iam congestas in calculũ cogere & coagmentare. Postremo illi quos tu ægros vocas, veri nempe calculosi, non semper tamen ægrotant. Habent dilucida intervalla. Nonne vitia animi cum vitiis corporis conferri possunt? Qui ambitiosus est, non semper eo malo urgetur. Qui avarus est, non omni loco & tempore avaritiam suam prodit. Qui libidinosus est, non ubique eam cupiditatem exerit. Qui ebriosus est, ad ebrietatem usque non semper bibit. Ita ergo & qui calculosus est, sive renũ id vitium sit, sive vesicæ, non continenter nec perpetuo laborat. Et vellem sane cum ægros hic à sanis distinguis, ut sanos intelligis qui arenas cum urinis reddunt sine dolore, ita etiam de quibus calculosis intellexeris mihi explicasses. Non unius esse generis ac modi non te latet. Quot calculi formæ sunt, tot calculosorum species dari palam est. Ut non ergo unum λιθιάσεως genus est, cum tot differentiis discernantur hæc vitia, cur omnes ad sectorem mittis? Ita enim scribis: *Non enim modo in ægrorum, sed & sanorum urinis subsidere sa-*

re ſabuloſa quotidie medici obſervant. At qui tales chirurgo ſtatim ſecandos traderet, næ ille plures profectò,

Quã Themiſon ægros autũno occideret uno.

Iſti flores ſunt, & meræ elegantiæ, quibus ludis, & fortaſſean etiam mihi illudis. Quia medicus non ſum, & tu de primariis unus es in arte medendi, idcirco iure tuo putaſti ſic poſſe mihi inequitare & inſultare. Unde ex mea Epiſtola hauſiſti credere me ſtatim ſecandos chirurgo tradì debere, quorum in urinarum ſedimento inveniuntur ſabuloſa? Inſanus eſſet qui iſtos ita ſanos curari oportere ſectione, cenſeret. At ne illos quidem quos ægros facis, ea curatione indigere omnes plusquam compertum eſt etiam illis qui medici non ſunt. Nemo tantus medicinæ mihi perſuaſerit auctor ut me chirurgo committam ſecandũ, quamvis me pro ſano non habeam, quia ſæpius arenoſa cum urinis reddo. Et peius mihi accideret niſi magna cura caverem, cum victus ratione, tum frequenti exercitio. Habeo amicum qui arenas magna copia cum urinis reddere ſolitus eſt omni ferme tempore, quæ ſatis clamant ac teſtantur illum calculoſorum claſſi eſſe adſcribendum. Cætera tamen ſanus eſt, niſi cum grandior aliquis

aliquis lapillus incidit qui difficilius per οὐρητῆρας primo, deinde & per οὐρήθραν tranſeat. Quando id accidit, tum patitur ea omnia συμπτώματα quæ primæ ſuæ nephritidi adſcribit tuus Hippocrates. Ubi balneo uſus aut aliis remediis adiutus eum calculum eiecit, tum ſano ſanior evadit. Malum ſæpe recurſat, bis aut ter in anno, interdum per tres annos vix ſemel, prout ſe validius aut minus exercuerit, quod facit ſæpe. Etſi mirifice autem eloquens ſis, & in arte medica ſupra modum excellens, nec potior apud me alius auctoritate ſit, nunquam tamen me à te perſuaderi paterer, ſi paterer hunc morbũ, ut ad eum emovendum tã temerariam medicinam uſurparem, quæ ferro calculũ curat, quamdiu arenas tantũ egererẽ, & quidem citra dolorem, ut ſæpe illi amico contingit. Quis enim ad eam feſtinat niſi cum alia remedia deficiunt? niſi cum æger in præcipiti eſt, & dolores tam acutos & continuos fert, ut mortem vel certam præferre illi cruci ſit paratus? Sic certe conſtat, neque in omni ætate, neque in omni calculi vitio, neque in omni tempore, addo etiam, neque in omni perſona, experiendum eſſe tam præceps remedium. Scripſeram in Epiſtola, *Non minus*

nus verum esse Hippocratis Aphorismum, quod multi arenulas reddunt cum urina, qui nunquam nec renum nec vesicæ calculo afficiuntur: nec quod multi calculo laborant, qui tamen non fundunt arenulas aut sabulosa. Respondes, *Immo ob utrumque falsus & fallax esset divinus ille senex, qui Macrobio nec falli, nec fallere scivit.* Immo & falsus est aliquando, quod ipse de se est fassus, & proinde falsus ipse prius, fallere alios deinde potuit. Certe & hic falsus est tuo iudicio divinus ille senex, fallere & falli nescius, simulque, etiam omnes sequentium ætatum ad nostram usque, medendi auctores ac doctores fefellit, nisi admittimus tuam in isto eius Aphorismo interpretationem, ut ὑφίσασθαι ψαμμώδεα accipiamus de sabulosis quæ sistuntur intra vesicam. Ponamus non errasse ipsumHippocratem, quia nimirum sciebat se quod scripsisset ita intellexisse, ut tu intelligis, quid facies Galeno? quid Paulo Aeginetæ? quid Alexandro Tralliano? quid aliis veteribus qui eum Aphorismum ita interpretati sunt, & ex eo crediderũt, per arenulas in fundo matulæ subsidẽtes, manifesta dari indicia calculi in vesica eius, qui talẽ effuderit urinã, cum tali ὑποστάσει? Mirum certe tantos auctores, & in arte medendi tam exercitatos, non potuisse

tuiſſe videre, quod hodie vel infimi ex gente Aſclepiadarum ſciunt, calculoſos reperiri qui arenas calculi indicatrices nunquam fundant. Ne ipſe quidem Hippocrates, medicinæ non tantum princeps ſed pæne deus, id vidit, niſi ὑφίςαται pro ſiſtuntur poſuerit. Quod verbum tamen nuſquam alibi eo ſenſu legitur uſurpaſſe, ut paulo poſt monſtrabo. Ignoravit ſcilicet Hippocrates cum univerſis omnium ſæculorū & nationum medicis, exceptis noſtræ ætatis doctoribus, multos ſæpius arenulas cum urina ſuetos reddere, qui nunquam nec renum nec veſicæ calculo laborarunt? Ignoraverit idem in multorum renibus reperiri ſolere calculos maximos, iis innatos, cuius tamen vitii non ſoleat edi ullum indicium arenarum proiectione? Etiam is neſciverit cum tota Aſclepidiarū antiqua familia in veſica poſſe eiuſmodi calculos concreſcere & inoleſcere, quorum nulla σημείωσις fiat ſabuloſis per urinas redditis? Hæc cum hodierna experientia & αὐτοψία ex diſſectis corporibus mortuorum docuerit noſtros medicos, nonne illud oppido perquam mirum videtur, antiquis illis eandem experientiam non ęque idoneam fuiſſe magiſtram, cum tamen in diſſectionibus corporum æque eſſent verſati,

ſati,

ſati, & ἀνατομικὴν haud minus callerent quam noſtri? An dicemus in corporibus tunc temporis hominum nunquam tale quid repertum fuiſſe ac viſum, quale nunc paſſim cernitur, etiam cum diſſecantur, dum in eorum veſica calculi viſuntur ſatis grandes & ponderoſi, qui tamē viventibus nullum ſabuloſæ urinæ indicium, ſed nec ſenſum, dederāt? In ſoceri mei felicis memoriæ, & nunquam ſine laude mihi nominandi Ioſiæ Merceri veſica, diſſecti poſt mortem, repertus eſt calculus grandis, ſolidus, magnitudine maioris amygdalæ, ſed rotundior, qui emotus ante annum illi fuerat ex vehementiore equitatione, & ſubinde in cervicem veſicæ prolabi exinde ſolebat, & meatum urinæ obſtruere cum ingenti cruciatu. Qua de cauſa in proximum ver, eam hyemem qua obiit ſequuturum, conſtituerat ſe ſectori chirurgo permittere ad eum extrahendum. Priuſquam calculus ille loco ſuo, cui ante affixus in veſica inhæſerat, motu equitationis contentioris emotus fuiſſet, non putabat ſe eſſe calculoſum. Nullo indicio id unquam, nec ullo doloris ſenſu cognoverat. Nunquam aliquid ſabuloſi per urinas eiecerat, neque ante cum quaſi radice nixus teneretur, neque poſtea quam loco ceſſit,

& instabilis cœpit existere. An igitur quo tempore medicinam fecerunt, ac de ea scripserunt antiqui auctores Græci Romanique, non solebant hominibus calculi in vesica aut renibus generari & concrescere ita duri & solidi, ut nullo argumento arenarum cum urinis profusarum, de eorum vitio aliquid possent certi explorare, periti artis? Hoc non fit mihi verisimile. An ergo tũ non mos fuit dissecandi corpora mortuorum, nec anatomice in usu fuit? Non fuisse nemo dixerit, quam & magis frequentatam tunc quam nunc liquet. Apud Aegyptios ex more medicandorum corporum qui in ea gente obtinebat, quæ & medicinæ laude, ut aliarum artium, semper emicuit, non licuit hoc ignorari. Nulla certè exenterabantur corpora apud illos, quin sciri posset an calculum vel in renibus vel in vesica habuissent. Præterea omne genus medicinæ apud eos omni tempore maxime agitatum fuit, nec minus anatomice. Postremo certum est antiquissimos medicos etiam manu operatos esse, & χειρουργίαν sectionemque omnem exercuisse. De re loquor quæ nemini docto ignota sit. An curatio calculi per sectionẽ antiquis usitata non erat extrahendis à vesica lapillis? Si fuit, ut

nemo

nemo inficias eat qui legerit ſcripta veterum medicorum, ergo & fuiſſe oportet talia ex calculis veſicę vitia, quæ extremũ illud remediũ requirerent. Nec enim tum, ut neque hoc tempore, ob arenoſas minutias quę facile cum urinis poſſunt ejici, inſtituebatur tam periculoſa & anceps curatio. Tradit Celſus de Ammonio quodam qui λιθοτόμος eſt cognominatus, quia calculi findendi artem repererat, ſi quando maior eſſet quã ut videretur poſſe extrahi niſi rupta cervice veſicæ. Ipſe Hippocrates meminit ſectionis calculo extrahendo, & dicit in ὅρκῳ, ſe non ſecturũ eſſe calculoſos, ſed hoc officio ceſſurũ huius operis artificibus: οὐ τεμέω οὐδὲ μὴν τοὺς λιθιῶντας, ἐκχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξιος τῆσδε. Hæc cum ita ſint, cur tam confidenter omnes illi medici quos ſupra nominavimus, quorum princeps eſt Galenus, ut de Hippocrate nihil dicam, docuerunt, ex arenoſis in urina ſubſidentibus veſicam λιθιῶσαν, aut etiam renes λιθιῶντας intelligi? Hic hic tota difficultas verſatur, quæ niſi alio modo diſſolvatur quã quo illam expedire conatus es, omnino fatendum ſit, imperitiſſimos hac in parte, quæ calculoſos ſpectat, fuiſſe veteres medicos. Quod an liceat cuiquam cogitare, nedum dicere,

hoc tibi ipsi pro ea qua antiquitatem prosequeris reverentia, iudicandum relinquo. Vix tamen eos ab hac imperitiæ, & quidē crassissimæ, suspicione vindicabis, per illam novā tuā interpretationē Hippocratei Aphorismi. Præter Hippocratē nullum antiquorū, qui omnes tā aperte τὸ λιθιάσεως σημεῖον ex sabulosa urina peti solere ac dari posse perhibent, quin vapulent, servabis. *Lapidū vesicæ humanæ innatorū* meminit Marcellus Empiricus ex antiquioribus, nihil enim sui habet, quamvis & ipse antiquus, cap. XXVI. *Lapis*, inquit, *ex vesica hominis qualibet curatione sublatus*, (etiam sectione) *si teratur, & ex vini cyathis tribus calculoso potui detur, lapides vesicæ humanæ innatos efficaciter dissolvere creditur.* Huiusmodi lapides, vesicæ innati, præcipue si sint duriores, ut sæpe sunt, nihil ex se remittere arenosi, vel sabulosi, quo se inesse vesicæ testentur, certum est. Non potuisse hoc latere veteris medicinæ doctores in tam frequentibus præsertim corporum dissectionibus & vesicæ per sectionem curationibus ad detrahendos ei inhærentes lapides, plus quam probabile est. Iterum illud certissimū, ut plurimū eos qui arenas ejiciunt simul cum urina, non esse obnoxios grādioribus illis & durioribus calculis

lis qui in renibus & in vesica innascuntur. Ut contra in quibus tales inolescunt & concrescunt, durioris nimirum & compactioris in lapidē substantię, non cōsuesse arenas fundere. Cur? Quia ab corpore illo lapideo ita concreto & vix friabili, fragmina non abeunt lapillorum, nec ulla arenosa. De hoc genere calculosorum vulgo dicitur, similes eos esse magnariis mercatoribus, qui nihil nisi in massa vendunt, nec particulatim suas merces venditant, sed per aversionem tantum. E contrario cociones & arillatores, qui per particulas & laciniatim sua habent vænalia, nunquam magnarii fiunt. Ita caupones qui tantum κοτυλίζουσιν, in eo differunt à vinariis negotiatoribus. Ex hac ita assimilata imagine, qui arenas per urinam egerunt, haud facile calculo lapideo laborant, & qui istū vel in renibus vel in vesica habent, vix ac ne vix quidem unquam patiuntur egeriem arenarum. In hac etiam opinione versatur Avisenna lib. III. Fen. XVIII. tractatu II. cap. XVI. *Et in illo in quo est*, inquit, *sedimen arenosum, in eo non aggregatur lapis, quoniam materia non est retenta.* Quod huic sententiæ Avisennæ opponi adnotant, Aphorismum Hippocratis hunc LXXIX. & Galenum in commenta-

mentario ad eum locum, nos inferius videbimus an verum ſit. Item quæ ſequenti capite ſcripſit idem Aviſenna de arena in urinis deſidente, qua ſignificatur calculum in veſica concreſcere, præcipue ſenum, an ea contra hoc vulgare dictum faciant quo iactatur, etiam ab imperitis ἰατρικῆς, non concreſcere in iis lapides, qui ὑπόστασιν ψαμμώδη egerunt, infra quoque diſcutiemus. Nam certe pugnantia videntur. Hæc omnia quæ de Urinis ſcripſit, à Grȩcis ſumpſit ille Aviſenna. Quãvis enim medendi rationes magna ex parte immutaverint Arabes, præcipue in iis quȩ ad curationes morborũ pertinẽt, & medicamenta, quorum pleraque Græcis veteribus incognita, in uſum vocarunt, nihil tamen in ſcientia innovarunt quæ cauſas explorat morborũ. Totam eam cognitionem & artem à Græcis didicerunt, quam & in ſuos libros è Græco converſam tranſtulerunt. Quorum mentem dum interdum non bene percipiunt, in multos errores ſe dederunt præcipites. Nam aliorum obſcurius dicta alioſum acceperunt, & ſic pugnare ea videntur cum aliis, quæ clarius expreſſa recte reddiderant. Tenemus iam duo genera calculi, alterum in lapidem, ut ita dicam, concretum & durum, interim & gran-

& grandiorem, alterum arenoſum. Ne dicam de tertio genere mollioris calculi, & ex pluribus minutiſque corporibus, ſed parum tenacibus, conſtante, cuius eadem ratio eſt in σημειώσει urinarum ὑποστάσεως, atque arenoſi. Ut enim iſte per arenas cognoſcitur cũ urina eiectus, ita ille per pauxilla fragmina vel ſquamulas, aliaſq; particulas, quæ abraduntur ex maſſa lapidea, & cũ urina egerũtur. Si quis igitur credit calculum lapidoſum ſigna dare ſui per urinarum hypoſtaſes arenoſas, aut arenoſam hypoſtaſin in argumentum trahi poſſe huiuſmodi calculi in ſaxeam duritiem concreti, is egregie hallucinatur. Quomodo enim lapis durus, ex quo nihil extrahi aut exteri queat, per arenulas egeſtas de ſua in veſica vel in renibus concretione teſtificaretur? Citius, quod aiunt, aquam è pumice, aut oleum è lapide duceres, quam ex dura lapidis ſubſtantia fragmina aliqua, vel arenacea corpora, cum ex arenis compactus non ſit, & nihil ex ſe patiatur per minutias extundi. Nec puto ſane tam indignum tanti nominis ęſtimatione, quam per omnia ſæcula uſque adhuc merito obtinuit ſuo, geniũ illũ medicinæ Hippocratem, ut pro Aphoriſmo & regula artis hũc canonẽ nobis propoſuerit, *ex are-*

noso sedimento argui vesicam lapideo calculo infartam & obstructam. Ita tamen omnes vulgo interpretantur illũ Aphorismum, ὁκόσοισιν ἐν τοῖς οὔροισι ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Nihil falsius esset hoc Aphorismo, nihil fallacius, si ita aliquis ex eo argumẽtaretur: *Arena est in urina, ergo calculus, id est, lapis durus, est in vesica.* Experientia quotidie monstrat eos qui lapideo calculo laborant, sive in rene sit, sive in vesica, nihil arenarum egerere cum urinarum ἐκχύσει. An hoc potuerũt ignorare Hippocrates, Galenus, Oribasius, aliique Græciæ præstantissimi medici? Non sane censeo. Hæc igitur via sola calcanda est ad veram illius aphorismi Hippocratei explicationem tendenti, quæ docet duo esse genera calculorum, arenosum & durum. Alio itinere eo quo vis, etsi omnia feceris, nunquam pervenies. Omnes hactenus hic error effascinavit, quod putarũt in Græcis Hippocratis λιθιᾷν esse tantũ laborare lapide, id est, lapideo ac duro calculo. Verbi huius apud Græcos proprietatem illi non observarunt, quam tamen vel ipse Hippocrates eos potuit docere. In libro περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, de nephritidis prima ex quattuor specie, λεπτοὺς λίθους exponit, τὸν ψάμμον. Dixerat primo de illis nephriticis,

ticis, καὶ ἅμα τῷ οὔρῳ πρoέρχεται ψάμμος. *Et una cum urina procedit arena.* Paulo post, ubi reddit causas quæ arenas illas in renibus, sive lapides generent, ita scribit, αὕτη ἡ νοῦσος γίνεται ἀπὸ φλέγματος, ὁκόταν ὁ νεφρὸς ἐς ἑωυτὸν ἀναλαβὼν φλέγμα, μὴ ἀφίῃ πάλιν, ἀλλ' αὐτοῦ ξυμπαγωθῇ. Τοῦτο γίνεται λίθοι λεπτοὶ, οἷον ψάμμος. Ab illis λίθοις λεπτοῖς; hoc est, lapillis arenulæ instar in renibus coagulatis, dixit ibidem νεφρὸν λιθιῶν. At νεφρὸν ita λιθιῶντα, id est, arenis sive λίθοις λεπτοῖς oppletum, prodi ibidem asserit, egerie arenularum eiusmodi. Si lapis grandior & compactior duriorque inhæreret renibus, nunquam sane his arenarum indiciis per urinarum emissarum eum significari scripturus fuit. Interpretemur igitur Hippocratem per Hippocratem. Cum similiter in hoc Aphorismo posuit arenas, vel arenosa in urina subsidentia, significare vesicam λιθιῶσαν, an debet de alio genere λιθίασεως hoc accipi, quam quæ in renibus similiter per egestionem cum urina arenarum indicatur? Non censeam debere, si ego sapiam. Ergo & ibi λιθιῶν vesica Hippocrati dicitur, quæ λεπτοὺς λίθους habet, οἷον ψάμμον, *lapides minutos, sicut arenam.* Λιθίασιν vulgo apud Græcos de his minutis arenæ corpusculis dici alio etiam exem-

plo probandum eſt. Vocant λιθίασιν Græci medici in palbebris, quibus ἐνεσπαρμέναις tubercula dura, alba, aſpera, ἰόνθοις ſimilia innaſcuntur. Ἴονθοι autem ſunt tumores in facie parvi & duri, quos *varos* Latini vocant. Hos λίθους palpebrarum alii χαλάζας vocant. Et χάλαζαν Galenus in Definitionibus medicis, ait eſſe κεγχρώδη συστροφὴν ἐν τῷ βλεφάρῳ, quæ & λιθίασις etiam apellatur. Ergo & λίθοι in eo palpebrarum vitio ſunt lapilli granis milii pares. Scio certe λίθον Græcis medicis non ſolum arenã veſicæ aut renũ, ſed etiam grandem quemlibet appellari lapidem, ſive calculum lapideum maiorem. Inde cognomentum λιθοτόμου hæſit illi Ammonio, qui findere lapides in ſectione invenerat, ſi quando maiores eſſent quam ut extrahi poſſent, niſi rupta cervice veſicæ. Hac ratione æquivoca eſſet plane in λιθιάσεως nomine, vel verbo λιθιᾷν, τοῦ λίθου acceptio tam de grandi ac duro, quam de arenoſo calculo. An ſic etiam incertus foret Aphoriſmus Hippocrateus? Non certe. Nã ſignũ illud ſubſidentium arenarum vix poſſe videatur de alia λιθιάσει exponi, quam quæ per arenulas poteſt oſtendi, aut de alio λίθῳ veſicæ intelligi, quam qui in parva fragmina arenis ſimilia, dũ ejicitur urina, facile ſolvatur,

vatur, unaque egeratur. Ut demus quod verum est, λίθον æque de minuto ac grandi, de arenoso friabili aut duro calculo sumi ὁμωνύμως debere, illud certe mihi concedendum est, verbum λιθιᾷν, magis de lapillis minutis vel arenis proprie accipi. Hoc enim verbi multitudinem significat. At ubi plures lapides, ibi etiam minores. Et sic proprie λιθιᾷν & λίθιασις significant vitium calculi arenosi, quo renes vel vesica laborant. Sic & χαλαζᾷν quadrupedes dicuntur, & pręcipue porci, qui eo ut plurimum infestantur, χαλάζῃ laborantes. Grana sunt plurima, minuta, alba, grandini similia, quæ visceri eorum inhærent. Alii plura habent, alii pauciora. Propter unum aut alterum granum vix χαλαζᾷν sus diceretur. Et hic morbus sive vitium rite posset λιθίασις appellari, si ad instar lapidum dura essent illa grandinum grana. Ut igitur χαλαζᾷν dicuntur, in quibus numerus est magnus horum χαλάζης granorum, sic & λιθιᾷν qui arenas plures in vesica habent vel in renibus, aut calculum ex pluribus huiusmodi arenaceis corpusculis, sed parum compactis, compositum. Ita & λιθίασιν in palpebris facit non unus aut alter tumor lapillo similis & grandini, sed plures & minuti. Φθειριᾷν dicitur non qui unum

num aut alterum in capite vel interula pediculum geſtat, ſed qui pluribus eſt refertus. Morbus præterea eſt φθειρίασις, quo qui laborat, multi in eo per totum corpus ebulliunt pediculi. Non unus aut alter in corpore vel in carne pediculus φθειριῶντα fecerit, ſed infinita eorum copia qua corpus eroditur. Hoc malo periit Pherecydes ex Græcis, ex Romanis Sylla, ex Iudæis Herodes. Parentũ ætate rex etiam quidam in Europa ſic vitam finivit. Hos pediculos, non de facie vulgaribus ſimiles, per totam cutẽ magna vi erũpentes, nonnulli σκώληκας vocant, & εὐλάς. Unde σκωληκόβρωτον apud Lucam in Herode Agrippa, de hac Phtiriaſi non male interpretati ſunt. De quo nos ad Novum Testamentum plura. Εὐλὰς etiam quidam nominarunt, qui ſunt σκώληκες. Unde illud de Pheretima Cyrenarum regina apud Suidam: ἡ δὲ Φερέτιμα ἡ κυρήνης βασίλισσα ἀνθ' ὧν ἔδρασε δίκας ἔτισε. ζῶσα γὰρ ἐξέζεσεν εὐλῶν. Iſta ἔκζεσις proprie in morbo pediculari obtinet. Εὐλαὶ itaq; ſunt φθεῖρες. Quę vox tamen ſignificat proprie σκώληκας, vermes. Inde Heſychio εὐλαὶ, σκώληκες. Sic etiam εὐλᾷν & εὐλάζειν, vermibus, id eſt, pediculis ſcatere totum. Ergo σκωληκόβρωτος Lucæ de Herode, eſt φθειρόβρωτος. Ita σκωληκιᾶν dicitur

qui

qui vermibus refertus est, & *vermiculare*, ut φθειριᾶν qui pediculis. Istæ voces ita formatæ τὸ πλῆθος & copiam designant. Ita ergo & λιθιᾶν vesica aut ren non proprie cẽsetur, nisi quãdo pluribus calculis, hoc est, ψάμμῳ, & λίθοις λεπτοῖς laborant. Postremo λιθιᾶν dicitur ἀπὸ τῶν λιθίων, non ἀπὸ τοῦ λίθου, à multis lapillis. At λιθία vel λιθίδια sunt λίθοι λεπτοί. Arenas, id est ψάμμον ita interpretatur ipse Hippocrates. Ergo λιθιῶν proprie de eo, qui arenoso calculo laborat, vel multitudine arenarum. At λιθᾶν, vel λιθῶν, locus diceretur qui lapidibus abundat, ut λιθιῶν, qui lapillis, id est, λιθίοις. Hinc λιθόωσα, Hesychio ἡ πολύλιθος. Iã animadvertere ex his incipis, nisi me fallo, Excellẽtissime Beverovici, κύστιν λιθιῶσαν quę arenarũ cum urinis profusarũ & subsidentium indicio manifestatur, de eo vesicę vitio intelligi oportere, quæ arenosũ cõtraxit calculũ, vel de multis arenis ex quibus calculus possit cõcorprari. Iã sentis, inquã, iam vides, me ex hoc fumo satis claram lucẽ dedisse, cum dixi in Epistola, *Non minus verũ esse Hippocratis Aphorismũ, quod multi arenã reddũt cũ urina, qui nunquã nec renũ nec vesicæ calculo afficiũtur nec affecti sunt. Nec quod multi calculo laborãt, qui tamẽ non egerũt arenas, nec arenosa.* Hęc enim plane diversa sunt, ut vulgo ea sumitis, *arena*, &

calculus.

calculus. Nam calculum pro lapide maiore & duro accipere consuestis. Cum itaque hæc invicem distent arena & calculus, non potest arena calculi, id est, lapidis durioris & solvi in arenas metuentis, indicium esse, ut nec talis calculus per arenarum, quas nunquam à se abradi sinit, egestionem deprehendi. Non negaverim quidem plures numero calculos, & longe arenis maiores posse in renibus & vesica reperiri, ut sæpe repertos experientia docet, qui λιθιάσεως ex nostra definitione, vero nomine videantur posse censeri, sed illud omnino contendo, ut λιθίασις & λιθιᾷν accipitur apud Hippocratem tam in libro de morbis internis ubi de vitiis renum agitur, quam in Aphorismo de quo nunc quæstio est proprie ita debere accipi. Ut ut sit, profecto nullus alius calculus arenarum egestione potest indicari quã qui arenosus sit, aut qui in eo sit ut ex pluribus arenis quæ in vesica sunt, accedente ex pituita glutino, possit coagmentari. Illud πάθος, hoc διάθεσις. Vtrumque λιθίασις. Certe cum ipse Hippocrates λιθιᾷν νεφρὸν ibi dicat, cuius λιθιῶντος signum exeratur egesto sabulo, & λιθοὺς λεπτοὺς qui in renibus sunt arenæ similes, eam λιθίασιν efficere doceat, haud sane aliter κύστις λιθιᾷν in hoc Apho-

Aphoriſmo queat intelligi, pręſertim cum iiſdem ſignis indicium de ea fiat, egeſtione nimirum τῶν ψαμμωδῶν in urina ſubſidentium per ὑπόστασιν. Calculum porro ſolum arenoſum ita manifeſta de ſe prodere indicia ſi mihi non credis; crede ſaltem Celſo, qui hoc non divinavit, ſed ex auctoribus præſtantiſſimis, qui & medicinam olim exercuerunt, id mutuatus eſt. Is lib. VII. cap. XXVI. ubi de curatione calculi quæ ſectione adminiſtratur, qua ratione fiat eloquutus eſt, quæque in calculo maiore ac duriore pręcipue tũ locum habuit, ut etiã nunc habet, ita de altero calculo ſcribit qui arenoſus eſt, & proditur eiectione ſedimenti arenoſi. *At calculus*, inquit, *arenoſus, & ante manifeſtus eſt, quoniam & urina quæ redditur arenoſa eſt*. Ergo durus calculus & in lapidem concretus, non ante manifeſtus eſt, nec urina quam eo laborantes reddunt, arenoſa eſt. Ergo & urina quæ talis redditur, non præfert indicium calculi duri ſaxeique, ſed tantum arenoſi. Meliorem illi Aphoriſmo Hippocrateo interpretem ne quæſieris. Mollis etiam calculus de quo apud eum ſequitur, & in fruſtilla friabilis & ſolubilis, ut pote ex multis ac minutis corporibus quaſi adinſtar ſquamularum

corticatim adgregatis cōpositus, haud secus atq; arenosus proditur significatione arenosæ ὑποστάσεως. *Item mollis*, inquit, *calculus & ex pluribus minutisque, sed inter se parum adstrictis compositus, indicatur, de se abradens quasdam quasi squammulas.* Ita legendus ille locus ex scriptis, non ut vulgo est, *Compositus indicatur, in se attrahens quasdam quasi squamulas.* Nullus ergo calculus, vel in vesica vel in renibus innatus ac latens, dignosci potest per urinarum χῦμα, ex hypostasi in ea subsidentium corporum, nisi aliquid de se abstrahi in urinæ transitu, & abradi patiatur, vel squamulas ut hic mollis, vel arenas ut ille arenosus. Sin vero tam durus sit, ut nihil ab eo possit deteri, frustra eius σημεῖον per id quod non potest de se dare, exquiras. Et magnæ imperitiæ, immo stultitiæ antiquos medicos is argueret, qui tale quid eos, vel in somnis cogitasse, somniaret. Nimirum ex coacto in duritiem lapidis calculo, arenosam solere egeri urinam, quæ tali ὑποστάσει ostendat vesicam aut renes λιθιᾷν, hoc est, eiusmodi calculo laborare. Ut certum est autē hoc genus λιθίασιν apud Hippocratē & alios medicinę auctores Græcos, quod solet arena indicari, non de alio calculi vitio accipiendū nisi arenosi & mollis, ita vero

vero verius non aliunde petendam interpretationem Hippocratei Aphoriſmi, niſi ex hac propria λιθιάσεως ſignificatione, & arenoſi duriq; calculi differentia. Hippocrates ψάμμον, ἀμμία, λεπτοὺς λίθους & ψαμμώδεις vocat lapillos, qui hanc λιθίασιν faciunt, & cum urinis egeri poſſunt. Πώρους autem appellat qui maiores arenis ſunt, ſed cum urina etiam ſæpe excerni ſolent ſi tranſire queant, aut qui omnino in veſica hærent, ſi grandiores ſint, & ſectione eximi debeant. Sic ſcribit in libro de Natura hominis: ὁκόσοισι δὲ ψαμμώδεα ὑφίσταται, ἢ πῶροι ἐν τοῖσιν οὔροισι, τουτέοισι τὴν ἀρχὴν φύματα ἐγένοντο πρὸς τῇ φλεβὶ τῇ παχείῃ. Specta eum hic diſtinguere inter πώρους & ψαμμώδεα quæ in urinis ſubſident? An & hic iſtud ὑφίσταται eo modo interpretaberis, quo in Aphoriſmo hoc noſtro, ὁκόσοισιν ἐν τοῖς οὔροισιν ψαμμώδεα ὑφίσταται, pro arenoſis quæ ſiſtuntur & ſupprimuntur in veſica? At quæ ratio tam diverſe interpretandi quę eadem ſunt, & eodem prorſus modo proferuntur, iiſdemque verbis enunciantur? Sed de his adhuc infra ubi verbum ὑφίσταται ex uſu Hippocratis explicabimus. Nunc pergamus in re ipſa potius, quam in verbis, Aphoriſmi ſupraſcripti expoſitionem ve-

ram prodere, & falsam amoliri. Nullus est, ut auctoritate etiam adversus te pugnemus, interpretum veterum, qui eum aliter exposuerit, quam de urinarum ὑποστάσει sabulosa in matula existente. Nec sane ullus recentiorum tecum facit, sed isti non bene negant hoc σημεῖον quod hic ab Hippocrate proponitur esse παθογνωμικὸν, quia arena vel arenosa urinæ egeries non potest certũ ubi adest dare signum calculi maioris in lapidem durum coagulati. Hoc quidem fatemur, sed etiã negamus λιθίασιν de qua hic agitur de huiusmodi calculo esse accipiendam. Nulla λιθίασις quippe sedimento arenoso potest dignosci & indicari, nisi arenosa. Qui aliter accipit, frustra se cruciat, & aliis crucem figit, quã aliter non effugerit nisi ope nostræ distinctionis. In libro de Calculo quem nuper edendum curasti nunquam satis laudato, Hippocratem sibi ipsi esse contrarium niteris demonstrare. Dicere enim illum dicis in libro de morbis internis, *Arenulas cum urinis excretas indicare calculum esse in renibus, reprehendereque veteres medicos, qui putabant eas signum esse calculi vesicæ. At,* inquis, IV. *Aphorismorum,* LXXIX. *longe aliter sentire videtur, & sibi ex diametro contrarius.* Apponis deinde verba Aphorismi, & mox addis,

Gale-

Galenum cum contradictionem cerneret, hæc adiecisse in commentario: Non omnino vesica laborat, sed contingit & renes. Nullam ego in Hippocrate contradictionē animadvertere possum, nisi verba Galeni aliovorsum accipias, quasi dicere illum fingas, non omnino vesicam laborare calculo. Hoc si ille diceret renes tantū laborare calculo, & hæc esset etiam sententia Hippocratis, tum ipse sibi contradiceret, qui in hoc Aphorismo dicat vesicam quoque λιθιᾷν. Sed quæso te, an sibi contrarius, qui cum uno loco affirmaverit renes λιθιᾷν, & hanc λιθίασιν arenarum per urinam eiectione demonstrari, si alio loco scribat, vesicam similiter λιθίασιν pati, & huius λιθιάσεως demonstrativū signū extare in urinis arenosa hypostasi præditis? Qui dixerit corvi caput esse nigrū, si mox etiā dicat eumdem corvum nigram habere caudā, an sibi contradicet? Non sane magis, quam qui renum calculum alibi per arenas quæ egeruntur manifestum esse prodiderit, alibi calculosam quoque vesicam simili indicio urinarum sabulosarum cognosci docuerit. Sed nec Galenus ullam contradictionem in verbis Hippocratis notavit, cum in commentario ea observavit, ad Aphorismum illum, οὐ πάντως ἡ κύστις, ἀλλ᾽ ἐνδέχεται

καὶ νεφρούς. Significat his verbis non tantum vesicam λιθιᾷν, sed idem etiam renibus contingere, ut calculosi fiant, & λιθιῶντες. Atqui hoc etiam tradidit Hippocrates in libro de Internis passionibus, cum de prima nephritide agit, nimirum & νεφρὸν λιθιᾷν, & de eius λιθιάσεως vitio per arenularum egestionem palam fieri. Addit Galenus ibidem peccatum hoc esse quidem in Aphorismo, qui ea sententia deficiatur qua renes quoque λιθιᾷν dicantur, sed non ea parte peccare dicit, quasi contradixerit sibi Hippocrates. Non vitiosus igitur hic Aphorismus Galeno, sed mutilus. Verba eius notanda & apponenda: ὥσθ' ἡμάρτηται φανερῶς ὁ ἀφορισμός. ἤτοιγε αὐτοῦ τοῦ Ἱπποκράτους παραλιπόντος ὅλου τοῦ λόγου τὸ ἥμισυ μέρος, ἢ τοῦ πρώτου βιβλιογράφου παραλιπόντος. *Adeo ut erratum sit manifestum in aphorismo, sive quod ipse Hippocrates insuper habuit alteram partẽ integræ sententiæ adponere, sive qui primus librum descripsit, eam prætermiserit.* Non contradictione qua secum ipse pugnet Hippocrates hic peccatum vult, sed omissione, vel ipsius auctoris qui de industria alterum membrum Aphorismi adiicere neglexerit, vel librarii qui per negligentiam non adscripserit. Quæ sequuntur verba Galeni longissime

nos

nos abducunt ab ea, quam commentus es, interpretatione, quibus integrum Aphoriſmum qualem concipi debuiſſe ab Hippocrate exiſtimat, proponit, ſimulque diſertiſſimè explicat. Ἐάν τε γὰρ, inquit, ἐν νεφροῖς, ἐάν τε ἐν κύστει λίθοι γίνωνται, συνεξέρχονται τοῖς οὔροις ψαμμώδη. *Nam ſive in renibus, ſive in veſica calculi gignantur, cum urinis ſimul ſolent exire arenoſa.* Quid contra hæc dices, qui contradicere ſibi ipſi Hippocratem antumas? An erraſſe eum cum illo ſuo Hippocrate dices, & fallacem non minus, quam falſum Aphoriſmum nobis propoſuiſſe? Quid his manifeſtius? Prodi uterque affirmat, ex prodeunte cum urinis arenoſo ſedimento, calculum tam renum quam veſicæ. Sed quem calculum? Non illum certe qui nihil arenarum aut arenoſi de ſe dare poſſit, ſed plane arenoſum. Nam ipſe Hippocrates, qui alibi dixit, in libro nimirum de paſſionibus internis, renum calculum demonſtrari arenoſæ urinæ indicio, hoc in Aphoriſmo pariter aſſeverat, veſicæ quoque calculum eodem ſigno fieri manifeſtum docet. Iunge utrumque, integrũ Aphoriſmum dabis qualem Galenus ſuis verbis in commentario concinnandum videri voluit. Talem, quod mireris, & in vetuſtiſſima verſione

Latina reperi, haud ſcio quando facta, ſed certe ante annos ſexcentos exarata. Sic igitur Particula quarta hunc Aphoriſmum ibi Latine redditum offendi: *Quibus in urinis ſabuloſa ſubſtant, his veſica aut renes lithiaſin habent.* An habuit exemplar, in quo integer Aphoriſmus extaret? Potius crederes ex Galeno ſuppleviſſe quod ille in defectu iacere putavit. Alii ex veteribus interpretes Aphoriſmorum, non defectum hunc eſſe volunt, ſed de induſtria ſolius veſicę λιθιάσεως meminiſſe Hippocratem, quia λιθίασις magis proprie obtineat in veſicæ calculo. Ita ſane Philotheo placet. Non negat quidem & in renibus naſci, *ſed quod maiori ex parte in veſica fiant calculi, ob ſatis magnam capacitatem veſicæ, ideo huius ſolum meminiſſe Hippocratem.* Hæc eius verba ſunt. Addit ibidem, ubi ſit calculus, omnio & ibi arenoſorum συνέκκρισιν fieri. Tu negabis conſequentiæ neceſſitatem. Sed adiicit cauſam qua ſtabiliatur: *Quoniam aliqua pars exteritur à calculo.* Ergo talem eſſe oportet calculum, ex quo aliquid exteri poſſit. Nam ſi ſit tam durus, ut nihil ab eo poſſit abradi, tum nulla fit arenoſorum excretio, & alia quærenda indicia quæ nuntium ferant de calculo. Arenoſum itaque oportet

eſſe,

esse, aut mollem, qui per arenas, aut per fragmina minuta de se testimonium dicat. Certe λιθίασις potius de arenoso dicitur, quatenus λιθίοις refertam vesicam, id est, λίθοις λεπτοῖς, vel ut interpretatur Hippocrates ipse, ψάμμῳ, indicat. Λιθιάσεως nomen de vesicæ calculis magis veteres usurpasse, etiam ostendit Galenus in Medicis definitionibus. Duæ quippe, quas ibi adfert λιθιάσεως definitiones, id adstruunt. prima est: λιθίασις γένεσις ἐν κύστει λίθου, δι' οὗ κωλύεται ἡ τοῦ οὔρου ἔκκρισις. *Lithiasis est generatio calculi in vesica, per quē inhibetur urinæ excretio.* Adiungit & alteram, quæ & vesicæ propriam λιθίασιν dicat: λιθίασις ἐστὶ πάθος, διατάσεις τῆς κύστεως ἐπιφέρων, συνδιατείνεται δὲ αὐτῇ καὶ ἦτρον, καὶ τῆς ποσθῆς ἅπτονται θαμινά. ἐπιγίνονται δὲ αὐτοῖς καὶ ἰσχουρίαι, ὅταν περιπλώσει ἀποφράξῃ τὰς ὁδοὺς τοῦ περιττώματος. *Lithiasis est passio quæ distensionem vesicæ infert, simulque partium circa pubem infimarum, Glandem sibi crebro fricant. Superveniunt ipsis & urinæ retentiones quando prolapsione calculi vias obstruxerit excrementi.* Isidorus quoque libro IV. Originum cap. VII. ex antiquis medicis tradit, *calculum esse lapidem qui in vesica fit, unde & nomen accepit.* Calculi nomine λιθίασιν expressit quam & vesicæ, ut vides, peculiarem facit. In Got-

thicis exemplaribus quæ contulimus, ſcriptum eſt: *Calculus petra eſt quæ in veſica fit.* Idiotiſmus eſt latinitatis illius ævi. Hodieque *petram* vocamus huiuſmodi calculum: *la pierre*. Quemcunque lapidem ſive durum ſive mollem tunc vocabant, ut ipſe Iſidorus oſtendit in libro de differentiis vocum. *Saxa*, inquit, *tantū duriſſima. Nam lapis & dura & mollis eſt petra.* Sed λιθίασις, ut iā dixi proprie, τῶν λιθίων, id eſt, arenarum magis habet ſignificationem, quam unius lapidis aut petræ grandioris ac duræ. Eam inſediſſe vetuſtiſſimis philoſophis mediciſque opinionem, λιθίασιν veſicæ eſſe proprium πάθος quod arenarum, id eſt, λιθίων eiectione indicetur, Ariſtoteles teſtis eſſe poteſt, quantum id ad philoſophos attinet. Mox de medicis viderimus. Ille igitur in Problematis, ubi quærit διὰ τί τῶν ζώων οὐδὲν λιθιᾷ, ἀλλ' ἢ ἄνθρωπος, *cur animalium nullum calculoſum eſt, præter hominem*, eam huius rei rationem reddit, quæ manifeſto evincit, τὸ λιθιᾶν de ſola veſicæ paſſione calculoſa id verbi intellexiſſe. Cauſam λιθιάσεως homini familiaris, animalibus inconſuetæ hanc allegat, quod meatus veſicæ in animalibus tam ἀποζυγίοις quam πολυωνύχοις, latiores ſint. Homo vero proportione magnitudinis

dinis corporis sui minus capacē habet vesicam, & nimis angustum meatum, sive fistulam qua urina exit. Καυλὸν ille appellat. Quem magnus Medicus apud Hippocratē de nephritide, perperā vertit *glandem*. Tota virga est, ut vocamus nunc, & Arabum interpretes. Unde καυλοκοπεῖσθαι, quibus ea pars tota amputatur. *Coles* Celso dicitur. Leges barbarorum *vectem* vocant, & *vectem amputare*. Inde vox nostra Gallica, qua eam partem nominamus, dictu inhonestior. Quem στενὸν καυλὸν hic appellavit Aristoteles, paulo post οὐρητῆρα nominat, quæ est οὐρήθρα aliorum. Sed certe & Hippocrates οὐρητῆρα alicubi dixit pro οὐρήθρας, ut supra notavimus. In vesicam ergo cum protruditur terrenus ille humor & crassior, ex calore loci concoquitur, & magis spissatur. Desidet porro, dum non ita facile potest exire propter angustiam canalis, & subinde increscit. Ita fit ut illa fæx quasi subsistens in vesica, quæ exitum liberum non habet, dum invicem partes sibi adgregantur, calculus inde existat. Quod ait de meatu ampliore vesicæ animalium, & hoc esse causæ cur calculo careant, id verum esse eo ostenditur, quod ob eamdem causam mulieribus & puellis rarius calculi nascantur quam viris

&

& pueris. Hinc Aphrodiſæi problema, διὰ τί αἱ θήλειαι βραδέως λιθιῶσι τῇ κύστιν; cauſam reddit, τὸ εὐρύπορον τοῦ τραχήλου τῆς κύστεως, ὡς καὶ συνεκκρίνεσθαι τῷ οὔρῳ τὸ περιττόν. Ea de cauſa & pueri frequentius calculo laborant veſicæ, quam ſeniores, ob anguſtos fiſtulæ meatum. Ex his porro liquet τὸ λιθιᾶν Ariſtotelē, & τὴν λιθίασιν veſicę tribuere ſoli quia nec ullam in eo problemate mentionem renum faciat, ſed ſolius veſicæ. Certe & ipſe Hippocrates in iuramento λιθιῶντας abſolutè appellat qui veſicæ calculo laborant, cum dicit, οὐ τεμέω οὐδὲ μὴν τοὺς λιθιῶντας. Non enim ſecantur niſi quibus in veſica calculus. Hinc renū calculoſitas νεφρῖτις potius dicitur quam λιθίασις. Sed cum porro conſtet in renibus hominum calculos etiam naſci, quod nec veteres ignorarunt, & de eo quoque nemo dubitet, non reperiri lapides in renibus quadrupedum, cur Ariſtoteles hoc quærere omiſit, ſed de ſolis veſicæ calculis problema cōdidit? Cauſas huius rei potuit multas afferre. Primum habitus ſtatuſque ſive poſitura ipſa animalium, qua prona ſemper in terram, efficit, ut humor ille corporis ſaccatus, qui per renes eorum tranſitum habet, non ibi moretur, nec deſideat, ſed quaſi ſuſpenſus vix ibidem

dẽ inhærescere queat, & calore concoqui acspissari. Ab hac eadem causa nec iis destillationibus, quæ pulmonem vitiant, obnoxia sunt quadrupedantia animalia. Humor enim qui tabem facit propter rectũ σχηματισμὸν, de capite pulmonibus illabitur. Idem est & de humore qui calculum creat. In homine qui ὀρθοστάδην ambulat, serum illud sanguinis quasi ex alto in renes defluens, ibi subsistit diutius, naturali calore densatur, & plerumque etiam adsciticio. Vidi enim plerosque qui calculum in renibus eo solo contraxerant, quod mensæ adsiderent obverso ad ignem tergo. Unde eos excalfactis vehemẽtius renibus, lapidi in his concrescendo causam dedisse constabat. Præterea & ipse decubitus in plumea culcita, ac renibus calorem nativo maiorem concilians, plurimis etiam causa calculi fuit, in illis partibus gignundo. Victus denique ratio & potus, calculum hominibus ĩndidit, bestiis nõ dedit. His illa simplicior, & proinde ad concoquendũ sine ullo superfluo excremento quo lapis generatur, facilior. Aquæ autẽ potus generando calculo non tam luculentam materiam præbet quam vinum. Hinc qui & inter homines hoc dilutius bibunt, aut aquam potant,

minus

minus calculo obnoxii, quam qui meraco indulgentius utuntur. Vini quippe substantiæ fæcula quædã ineſt ſive tartarum, quod ubi ſaccatum ac percolatũ per venas in renibus ſubſedit, vel in veſica, lapillos & arenas cogere & congregare idoneum eſt. Quo pinguiora, & vetuſtiora & magis οἰνώδεα ſunt vina, eo plus habent tartari, & talia quoque calculo gignendo, augendoq; magis idonea. Lateribus doliorũ vinariorum ubi exinanita fuere, ſæpe adhærens viſitur illa fæcula, more ſalis puri pellucida. Salis uſus etiam multum facit ad calculũ. Cauſæ iſtæ militant valentq; & pro veſicæ calculo cur hominibus ſit familiaris, beſtiis inuſitatus, non tantum πόρων ϛενότης vel εὐρύτης, quæ ab Ariſtotele adſcribitur. Nam eadem cauſa efficiens ac materialis ſcrupos in renibus coagulat & in veſica. Præterea è renibus arenæ in veſicam deſcendentes, in ea calculum creant. Ita à renibus omne malum veſicæ influit coactis in unum particulis quæ corporantur calore veſicæ. Illud certe mirũ, Ariſtotelem nihil de renum calculo memoraſſe, ſed τὸ λιθιᾶν ſoli veſicæ aſſignaſſe. An hęc fuit antiquiſſima, philoſophorũ medicorumq; opinio, cum primo medendi ſcientia pars haberetur ſapientiæ, quia mor-

morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ab iisdem auctoribus prodita est? Hippocrates certe in libro de Morbis internis clare testatur, medicos sui temporis plerosque non aliam λιθίασιν, præter eã qua calculosa fit vesica, cognovisse. In primæ quippe νεφρίτιδος πάθει, cũ illi medici viderent in hoc morbo arenas egeri, malum id à vesica venire censebant, non à renibus. Πολλοὶ δὲ, inquit, τῶν ἰητρῶν, οἱ μὴ συνιέντες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσι τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιῆν τὴν κύστιν. Unde hoc? nisi quia putabant, vesicæ hoc vitium esse proprium, non commune renibus cum vesica, τὴν λιθίασιν? Dicit πολλοί. Ergo non omnes. An igitur ex illorum πολλῶν medicorum sententia hunc Aphorismum concepit Hippocrates? Non arbitror. An infartus est hoc additamento liber Aphorismorum ab illis, qui ita opinabantur? Certe & Galenus asserit in librum eiusdem Hippocratis de Natura hominis nonnulla παρεγγεγράφθαι, quæ auctor pro suis non posset agnoscere. Vix hoc etiam crediderim, cum nemo veterum Aphorismos illos ita incrustatos esse, prodiderit. Oribasius alia via succurrit huic difficultati, ut dubium eius solvat. Ait distinguendum esse inter ætates. Alii enim

ætati

ætati naſci calculum in renibus, alii veſica. Pueros iſto modo crebrius laborare, ſeniores illo. Rationem ibi reddit cur ita ſit. Ergo veſicæ λιθιάσεως in hoc Aphoriſmo meminerit tantum Hippocrates, non etiam renum, quia hæc λιθίασις uni generi, hoc eſt, pueris, magis accidit. Enimvero inter omnes fere antiquos medicinæ profeſſores convenit, calculatione, ut vocat Cælius, veſicæ, frequentius pueros ægrotare, viros ac ſenes renum. Hoc Galenus, hoc Oribaſius, hoc Paulus Aegineta, Alexánder Trallianus, aliique confirmant. Alexander quoque Aphrodiſæus de eo habet Problema, ſive quiſquis auctor eſt προβλημάτων ſub eius nomine editorum, διὰ τί τὰ μὲν παιδία ἐν τῇ οὐροδόχῳ κύστει τοὺς λίθους τίκτει, οἱ δὲ γέροντες ἐν τοῖς νεφροῖς; Omnes id habuerunt ab illo medicinæ principe Hippocrate, qui multis locis id aſſerit. In ſexto Epidemiorũ ſectu III. hoc diſerte tradidit, τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον. Hoc eſt, *pueris concretio calculi magis in veſica.* Quod ſupra explicavimus, & dicemus infra pluribus. An hęc ita ſe habeãt ut illi volunt, & an rationes quibus hoc ſtabiliunt ſatis certæ ac veræ ſint, vobis medicis diſcutiendũ relinquo. Cur non eſſent, cum Hippocratẽ habeant

beant auctorem. Nodus tamen quæstionis non inde ſolvitur, an arenoſa in urinis ſubſidentia calculum veſicæ ac renum probent. Nam & in pueris, etſi concedamus eos magis κυστολιθιᾷν, quam ſenes, utriuſque generis in veſica calculos naſci compertum eſt, duros & arenoſos. De duris idem reſponderi debet quod in λιθιάσει renum, non poſſe arenarum ſubſidentium, eos teſtimonio convinci. Ergo de ſolo arenoſo calculo id ſolum dicendum, aut molli. Vidi quippe pueros ſectoris egentes, & propterea chirurgo commiſſos, de quorum calculo nihil per ἔκκρισιν, nec ὑπόστασιν ψαμμωδέων proditum fuerat, nec præcognitum. Alia indicia vitium demonſtrarant. At Galenus eadem ſigna profert pueri calculo laborantis lib. 1. de Locorum affectibus, quæ in definitione λιθιάσεως attulit. Ita enim ibi ſcribit, φέρε γὰρ ὑποκείσθω παιδίον μὲν τὸ κάμνον, ἔμπροσθεν δὲ αὐτῷ γεγονέναι τὰ τοῦ λίθου σημεῖα. Quænam illa σημεῖα ſint, ſubiicit. τὸ μὲν οὖρον ὑδατῶδες, ὑποστάσεις τίνες ψαμμώδεις ἐν αὐτῷ, τὸ αἰδοῖον συνεχῶς κνώμενον, χαλώμενον, καὶ ἐντεινόμενον ἀλόγως, ἰσχουρία. Hæc omnia ſigna comprehenſa ab eo fuere in definienda λιθιάσει libro Definitionum medicarum. Locum iam ſuperius

attulimus. Quæ nec ipſa cuiquam certa ac vera videri poſſunt, niſi ex noſtra interpretatione explicentur. Quomodo enim certum poteſt eſſe calculi in lapidem, vel petram concreti ſignum, quod nec in totum fieri queat? Si præ duritie nihil poſſit ex ſe remittere calculus, fruſtra in hypoſtaſi urinæ quæras ſubſidentia ſabuloſa quæ ſuper eo teſtificentur. Atqui non idem in his Galeni verbis tibi ſuccurret, quod in mentem veniebat in Aphoriſmo Hippocratis interpretando, ut ὑφίςαϑαι pro ſiſti ibi accipiatur. An ὑποςάσεις ψαμμώδεας in definitione λιϑιάσεως Galeni, & loco altero paulo ante allato expones etiam, *ſuppreſſiones in veſica arenularum?* Ita ſane debeas ſi ὑφίςαται in Aphoriſmo idem ſignificat quod ſiſtitur. Nam ὑπόςασις ab illo verbo. Res præterea eadem eſt. Quippe ſi falſus eſt Aphoriſmus Hippocratis, aliter quam quomodo tu vis intellectus, & expoſitus, profecto nec illa Galeni minus falſa, quæ ψαμμώδη ὑπόςασιν indicem eſſe ſciſcunt λιϑιάσεως veſicæ. Atqui idem Galenus ad illum Aphoriſmum dum commentatur, non ſolum calculum veſicæ, ſed etiam renum illa ψαμμώδει συνεκκρίσει & ὑποςάσει prodi probarique affirmatur. Cuius verba & pro

Apho-

Aphoriſmo poſſunt haberi, ἐάν τε γὰρ ἐν νεφροῖς, ἐάν τε ἐν κύστει λίθοι γίνωται, συνεξέρχονται τοῖς οὔροις τὰ ψαμμώδη. Quod ad Hippocratem attinet, cur minus integrum illum ſuum Aphoriſmum propoſuerit, & veſicæ tantum calculi meminerit non etiam renum, quidquid cauſæ poſſit afferri, certum eſt non ex ignorantia id feciſſe, cum alibi medicos ſui temporis caſtigarit qui λιθίασιν tantum veſicæ non etiam renum agnoſcerent, & arenoſa ſubſidentia cum cernerent, de veſicæ calculo ea teſtari, non renum crederent. In Aphoriſmo qui proxime præceſſit poſuerat, qui ſponte ſua ſanguinem meierent, venulam ruptam in renibus eo mictu ſignificari. Cur igitur in ſequente, qui hic eſt quem in manibus habemus, non pariter renum meminit, cum eadē ſigna alibi prodiderit renū λιθιάσεως & veſicę, quæri ſane merito poteſt, & quæſitum iam olim à multis, hodieq; id in quęſtione eſt. Ex omnibus quas attuli rationibus & explicationibus impēſe mihi arridet illa Oribaſii, quæ ab ætatibus cauſam arceſſit. Nam & ipſe Hippocrates pueros veſicæ calculo, quam λιθίασιν proprie multi antiquorum appellarunt, præcipue laborare aliquot locis dixit. Idque omnis ſequentium medico-

rum natio confirmat. Deinde idem Hippocrates docet νεφρῖτιν illam, quæ calculum sabulosorum emissione testatur, non ante pubertatem contingere. Νεφρῖτις πρὸ ἥβης οὐ γίνεται. At intra pubertatem ut plurimũ, ἡ λιθίασις κύστεως pueris familiare malum. Non mirum proinde si pro ætatibus λιθιώντων tam dissita vitia non miscuit nec confudit. Sic ergo separatim hunc Aphorismum dedit de κύστει λιθιώσῃ. Cui sententiæ non parum favet quod supra notavimus, λιθίασιν proprie de vesicæ calculatione ex veterum χρήσει obtinuisse. Non propterea tamen verum est quod celeberrimus medicus in Definitionibus suis medicis adnotavit neminẽ λιθιᾷν & λιθιῶντας usurpasse nisi de iis, quibus in vesica lapis molestus est. Nã Hippocrates λιθιῶν νεφρὸν dixit in libro de morbis internis ubi de nephritide agit. Ut de Galeno nihil addam, qui etiam de renum calculo id usurpat. In libro quippe de Renum passionibus, λιθίασιν proprie de nephritide dici ait. Κυρίως ἡ νεφρῖτις, ἡ λιθίασις γίνεται. Contrarium dixit in Definitionibus ubi λιθίασιν proprie de vesicæ calculositate notavit usurpari. Conciliemus. De utroque λιθίασις dicitur. Nec sane potest aliter. Si enim λίθια, vel λιθίδια habent renes,

nes, ut vesica, non minus possunt dici λιθιᾷν quam vesica. Νεφρῖτις tamen propriū nomen λιθιάσεως renū. Generalis appellatio substitit in vesicæ calculo. Dixeram in mea: *Sic & in renibus & in vesica, multi calculos habent, quorum tamen indicium per urinā sabulosa fundentem non proditur.* Hoc tui instituti esse in tua fateris, & recte ea à me dici, & in iis medicos me habere ὁμοψήφους. Sed hinc etiam recte te inferre pertendis, *sabulosa cum urina effusa, si non præbent calculorum indicium qui in renibus aut vesica hærent, non posse haberi pro eorum signo, minus παθογνωμονικῷ, quale requiritur in Aphorismis.* Hoc ipsum & tibi totum largior ac dono, si sabulosa egesta cum urinis non præbent indicium calculi, qua in renibus, qua in vesica hærentis, non posse pro eorum signo haberi παθογνωμονικῷ. Ex eo & ipse infero si hoc non sit, Hippocratem cum Galeno insulsissimos & imperitissimos non tantum medicorum, sed vel hominum fuisse, si pro signo in Aphorismo & artis regula, vel catholico, id posuerint, quod verum esse non possit. Quod autem dixi, in renibus & vesica multos calculum habere cuius indicium non proditur per urinam sabulosa effundentem, neutiquam id colligi à te potest aut concludi

quod vis colligere, *Nimirum ſabuloſa cum urina effuſa, ſi non probent calculorum indicium, non poſſe pro ſigno παθογνωμονικῷ haberi.* Sabuloſa in urina ſubſidentia non probant de calculo lapideo ſed de arenoſo, qui per hoc ſignum oſtenditur. Recte igitur in eadem ad te Epiſtola addebam hæc verba pro clauſula & concluſione, *Sed quiſquis arenas effundit per urinam, quæ & in imo urinæ ſubſidunt, certum eſt ſignum in eius veſica arenas & calculos eſſe.* Non poteſt aliter eſſe. Arena in urina ſubſidens probat arenoſum calculum, vel arenas in veſica multas calculum lapſu temporis cogere idoneas. Utrumque λιθίασις, calculus quidem ut πάθος, arena ut materia calculi & διάθεσις. Impoſſibile porro eſt, ut ex arenis ſubſidentibus ducatur ſignum & argumentum calculi non arenoſi. Ad illa mea ſubiicis tua iſta, totidem verbis: *Immo tam certum eſt ſignum, ut vix aliud incertius.* Si hoc verum eſt, tam ſtultus fuit tuus Hippocrates cum Galeno ſuo, ut vix alius ſtultior vixerit, aut ſtolidiora ſcripſerit. Nam illi pluribus locis, in ſcriptis ſuis hoc paſſim affirmant de calculo veſicæ & renum, manifeſtam de eo fidem fieri per ſubſidentes in urinis arenas, vel ſabuloſa. Unde igitur hæc ſabuloſa, ſi non ex

are-

arenoſo calculo, vel ſaburra ſabuli, qua differta ſit veſica, vel renes oppleti? Sive illa ſaburra ex diſtantibus arenæ corporibus ac ſeparatis compoſita ſit, ſive ex adſtrictis concreta, ſed mollius colligatis, & diffluere facilibus. ac diſſolvi. Addis, *quod medici omnes qui non tantum ex libris, ſed & ex arte medendi & frequenti exercitatione ſapiunt, mecum confiteri debent.* Quid? An veteres illos, quos nominavi auctores, ex libris ſolis putas ſapuiſſe, nec artem medendi exercuiſſe? Credisne hos neotericos quos nunc appellas, ſapientiores Hippocrate & Galeno fuiſſe, & magis exercitatos in arte curationum? Atqui illi, quod tu nunc negas cum tuis neotericis, conſtantiſſime affirmarunt, certum inde ſignum dari λιθιάσεως renum ac veſicæ, ſi quis urinam reddens, ψαμμώδεα emittat quæ in imo ſubſidant. Aut igitur aliter illi exponendi quam tu exiſtimas, aut omnium hominum in arte ſua imperitiſſimi exiſtimandi. Sequitur in Epiſtola tua, *Neutiquam illud ſcitum eſſe Hippocratis medicorum ſine controverſia principis.* Nempe illud non vis eſſe ſcitum Hippocratis, quia nimirum ſcribat ex arenarum effuſione colligi λιθίασιν veſicæ. Quid oppones Galeno & aliis medicis quotquot poſt illum

 vixere,

vixere, qui idem asserunt? Subiungis & illa statim, *Galenus ipse testatur manifeste errare Aphorismum, quia tantum vesicæ, non etiam renum faciat mentionem.* Negabas modo scitum esse Hippocratis, quia falsum esset, ex arenosis egestis posse statui de signo calculi vesicæ. Nunc esse, sed esse falsum vis. At quod de renibus nihil in isto Aphorismo Hippocrates adiecerit, non ea re falsitas Aphorismi deprehenditur, sed quod omnino ponat in illa definitione, quibus in urina sabulosa subsident, iis vesicam λιθιᾶν. Quid si addidisset de renibus, an verior videretur Aphorismus? Non certe tibi. Alibi hoc idem & de renibus affirmavit, in libro nimirum de Passionibus internis. Fallax falsumq; & illud signum de arenosis indicantibus calculum renum. Quid ergo? Si hęc definitio Hippocratis de vesica falsa est ac fallax, an minus erit & illud quod de renibus dixit? At si verum illud de renibus, quod in nephritis prima specie describenda posuit, certe, & iste Aphorismus de vesica non minus veritati litabit. Utrobique enim eadem ratio, idem signum calculi tam in renum quam in vesicæ λιθιάσει, ex sabulosis excretis cum urina, & in urina subsidentibus. Frustra ergo nobis obiectas ea parte
Apho-

Aphoriſmum errare, quod non & de renum calculi σημειώσει idem pronuntiet. Atqui pronuntiavit, ſed alio loco. Hic tantum de veſica definitionem implevit. Animadvertiſſe tamen non longule hinc videris, non in eo vitium eſſe Aphoriſmi, quod deeſſe illi voluerit auctor renum calculi indicium, ideoque recte adiicis, *ſed nec hoc addito, verum eſſe vere aſſerit inſignis medicus Chriſtophorus à Vega profeſſor Complutenſis.* Ex verbis eius ſtatim rationem ſubnectis, *quandoquidem ſæpe videmus arenulas mingi, & hominem non laborare calculo renum neq; veſicæ, neq; unquam laboraſſe.* Poteſt certe fieri ut arenulas mingãt, qui calculo, id eſt, lapide duro, vel λίθῳ πωρώδει nõ laborent, neque unquam laboraverint, idq; certũ eſt. Cæterum vix ullus arenas mingit, quin ex multitudine arenarum quas in veſica habet, ſive in unum corpus concretarum, ſive diſcretarum, διάθεσιν habeat λιθιῶσαν, & quin κύστις eidem λιθιᾶν dici poſſit. Cum furfures ex capite decidunt, non ſignificant pediculoſum caput eſſe, ſed nec pediculi pectine decuſſi furfuribus refertum caput denotant. Nec ergo arenoſæ ὑποστάσεις de lapide non arenoſo indicium faciunt, ut nec viciſſim calculus in lapidis rigorem ſolidiſſimum concre-

tus, per arenularum cum urina συνέκκρισιν ſe patitur indicari. Urges adhuc verba Vegæ, & in partes eum iterum vocas, ita ſcribentem, & militantẽ, ut putas, pro tua ſententia. *Videmus multos*, inquit, *arenulas mingere, eæque cum cohibentur prædicimus calculum futurum. Cum enim ſemel excretæ fuere, maiorem movent calculi ſuſpicionem cum retinentur, quam cum minguntur.* Haud poteras cuiuſquam auctoris verba referre qui tibi plus adverſetur, quam hic facit. Putaſtine eum pro te facere? Non ita mihi videtur. Immo, ſi quid iudico, iugulum petit tuæ aſſertioni. Non dicit Vega abſolute & ſimpliciter ex arenulis intra veſicam cohibitis prædici calculum futurum, in quam ſententiam tua expoſitione refingis Aphoriſmum Hippocratis, ſed ubi ſemel excretæ fuerint arenulæ, ſi ſupprimi poſtea cœperint, tum ſuſpicionem eſſe, immo ſignum calculi. Quod, ut eſt veriſimile ita non eſt perpetuo verum. Ubi ergo qui multas egerebat arenulas, amplius egerit nullas, ſuſpicio datur ex arenulis quæ egerebantur συνίασμα in veſica fieri, eaſque iam in lapidem cogi. Cæterum ſi quis nullas unquam excreverit arenulas, ſi ſubito urina eius cohiberi incipiat, & ἰσχουρίαν inde patiatur, cum tam mul-

multæ aliæ ſint ἰσχουρίας cauſæ præter ſuppreſſam ex calculo urinam, quis poſſet hanc urinæ difficultatem imputare arenis intra veſicam detentis, ac ſuppreſſis? Enimvero ſi non daretur alia cauſa ἰσχουρίας præter ὑπόστασιν ψαμμώδεων, hoc eſt, ut tu interpretaris, *areniſtitium in veſica*, non dubitarem utique ſtatim amplexari duabus ulnis interpretationem tuam. Ecce aliquis lotium reddere non poteſt, & tenetur urina eius. Quod non eat, cauſa in promptu eſt: Nimirum arenæ ſunt quæ iter obſtruunt, intus abſtruſæ & confertę. Hoc ſi dici ſemper liceret in omni iſchuria, facillime profecto triumphares, ut cauſæ patronus admodum vincibilis. Eam certe & calculus facit, ſed non omnem. Ergo ubi eam facit, nemo divinare queat calculum in cauſa eſſe, niſi præceſſerit aliqua arenarum excretio, in tot aliis cauſis quæ eundem effectum producere poſſent. Legiſti Celſum, ubi dicit, *rem interdum cogere emoliri manu urinam, aut quia ſenectute iter eius collapſum eſt, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex ſanguine intus ſe oppoſuit. At mediocris ſæpe inflammatio ſæpe eam reddi naturaliter prohibet.* Vides & inflammationem, & ſanguinem concretum poſſe ἰσχουρίαν efficere, non ſolum calculum.
Hoc

Hoc quidem te non ignorare plus quam certus ſum, ſed ea ſcienti tibi obtrudo, ut mea confirmem. Galenus in Definitionibus medicis octo cauſas recenſet quę ἰσχουρίαν pariunt, in quibus octavam numerat, λιθίασιν, id eſt, calculum. Prima eſt, φλεγμονή. Hæc eſt, *inflammatio* Celſi. Secunda, σκίῤῥος. Tertia, αἵματος θρόμβωσις. Celſo, *concretus ſanguis*. Quarta, παράλυσις. Hanc veſicæ παράλυσιν Celſus appellat, *iter urinæ vetuſtate collapſum*. Quinta eſt, περίπτωσις τοῦ λίθου cum lapis in os veſicæ prolabitur. Sexta, νευρικὴ συμπάθεια. Septima, ἕλκωσις. Octava, λιθίασις. Cæteræ cauſæ ἰσχουρίας, ſeptem nempe priores, habent ſua quibus prodantur ac manifeſtæ fiant indicia & ſigna. Octava λιθίασις ſine dubio etiam præmittit aliqua ſigna quibus indicari & prædici poſſit. Quæ ſunt illa? Tu dices ſuppreſſas cum urina arenas. At hic effectus λιθιάσεως, non ſignum. Quomodo enim aliquis poſſet ex ſuppreſſis urinis & arenis ἰσχουρίαν, hoc eſt, effectũ λιθιάσεως cognoſcere, niſi viderit aliquod ſignũ unde expiſcari poſſit, calculũ cauſam eſſe arenarum cũ urinis ſuppreſſionis? Cum fiat ἰσχουρία ex tot aliis cauſis, ubi illa evenerit nullis præmiſſis indiciis ſabuli, niſi divinus ſit, haud poterit conii-

cere

cere urinam propterea non reddi, quod calculus ituræ iter præpediat. Citatis & productis Vegæ verbis quæ ſuperius attulimus, ut probes cauſæ tuæ ea velificari, ſtatim infers, *Nullum itaque Vegæ ſignum calculi, arenæ cum urina emiſſæ, ne quidem renalis, niſi ſubſiſtant ſive ſiſtantur in renibus, aut in veſica.* Pace tua & cum bona venia dixerim, non probas mihi quod dicis, & aliud ipſe Vega docet. Nam his arenis in veſica ſubſiſtentibus nullam ſigni certitudinē de calculo indicando atttribuit, niſi ante ſemel excretæ fuerint. Quippe ſi vel ſemel aliquando emiſſę fuerint, & ſiſti poſtea cœperint, tū calculus in cauſam ἰσχουρίας potius, quā quælibet alia res trahi poteſt. Quod tamen non ſemper eſt certū. Suſpicio eſt quæ augebitur, ſi non ſemel, ſed pluries aliquis meiendo arenas egeſſerit. Ergo vel Vega teſte ac iudice oportet prius arenæ egeſtæ ſint, quā de ἰσχουρίᾳ propter calculū contingente aliquis ſuſpicari quid poſſit. Et hoc plane eſt quod Hippocrates, in Aphoriſmo dicit, *quibus arenoſa in urinis ſubſident, iis veſicā λιθιᾶν*. Quo tēpore huiuſmodi arenoſa egeruntur, nondum eſt ἰσχουρία, ſed λιθίασις, id eſt, diſpoſitio ad ἰσχουρίαν ex calculo vel arena quæ in veſica eſſe eo ſigno dignoſcitur. Nec quilibet

ſane

ſane calculus eo indicio tanquam ſorex in cavo ſuo proditur. Si enim, ut iã toties dixi, ita durus eſt, & compactus, ut urina ſtringendo nihil abradere ex illo queat, talis certe qui ſit, non poteſt per ψαμμωδέων ὑπόστασιν portendi ac ſignificari. Hoc prorſus τῶν ἀδυνάτων. Lapidem huiuſmodi, durum magnumque, qui per arenas egeſtas nihil de λιθιάσει veſicæ poteſt denuntiare, Hippocrates abſolute λίθον appellat aliquot locis, & πῶρον. Atque ita πώρους ἀπὸ τῶν ψαμμίων diſtinguit, ut ſupra notamus. Galenus λίθον πωρώδη appellat commentario III. in Sextum Epidemiorum, ἅπαν αὖθις εἰς τὴν κύστιν ἀφικνεῖται παχὺ, προσπλάττεται τούτῳ, καὶ γίνεται μείζων ὁ πωρώδης λίθος. Ipſe Galenus in libro de Renum paſſionibus, πώρους etiam diſtinguit ἀπὸ τῶν ψαμμίων, tophos, ſive tophaceos lapides ab arenulis. Οἱ δὲ οὔτε τίνα ὀδύνην ἔσχον, οὔτε αἷμα οὔρησαν, οἷς πῶροι μὲν οὐ συνίσανται, ψάμμια δὲ λεπτὰ, ἃ οὐδὲν μέγα πρᾶγμα οὐρηθῆναι, οὔτοι οὔτε νοσεῖν οἴονται, ἅτε οὐκ ὀδυνώμενοι, χρὴ δὲ μηδενὸς ἀμελεῖν, ἐν γὰρ τῷ χρόνῳ ἀποδείκνυται πάντα δεινότερα. *Sunt qui neq; dolorem ullum ſenſere, neque ſanguinem minxere, quibus lapides non concrevere ſed arenæ minutæ, quas non magnæ molis ſit per mictum egerere. Atque hi ne ſe quidem ægrotare*

tare exiſtimant. Sed nihil negligendum. Nam tempore omnia euadunt difficiliora. Inſignis locus ad meam ſententiam confirmandam, tuamque infirmandam. Aut lapis eſt in veſica ac renibus, aut arena. Quibus lapis ineſt, plerumq; ſanguinem mingunt ab exulceratis à lapide renibus, aut veſica. De renibus ibi Galenus agit, de veſica Hippocrates lib. IV. de Morbis. Quibus arenæ tantum in veſica vel renibus ſunt, ii cum nullo doloris ſenſu afficiātur, & facile eas egerant mingendo, putant ſe morbo carere. Nihilominus illæ arenę indicium λιθίασεως faciunt, & maioris quidē quam eſt, futuræ, niſi quis venienti morbo occurrat. Nam illa arena quæ egeritur, teſtatur eſſe ſimilis materiæ ſaburram in veſica, vel renibus, quæ tēpore poſſit in calculum concreſcere. Arenæ igitur quæ cum urina redduntur duum ſunt generum. aut arenoſam tantum ſaburram indicant, aut calculum, eumque vel formari incipientem, vel iam formatum. Hippocrates talem arenam ψάμμον vocat in libro de Morbis internis, quam ψάμμον interpretatur, λίθους λεπτοὺς οἷον ψάμμος, *calculos minutos qualis arena eſt.* Ergo ſunt, λίθοι λεπτοὶ ψαμμοειδεῖς, vel ψαμμώδεις. Hæc ſunt quæ ψαμμώδεα in hoc Aphoriſmo

ſmo indigetat, & ſubaudiendum λίθια, vel λιθίδια. Ita enim alio loco nominat hos λεπτοὺς λίθους, minutos calculos qui inſtar arenæ ſunt, in Coacis prænotionibus, Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα μετ' οὔρου ἐπισχέσιος λιθιδίων οὔρησιν, ἢ παχέων οὔρων σημαίνει. Ergo τὰ ψαμμώδεα ſunt ψαμμώδη λίθια ac λιθίδια non maiora quam ut mictu poſſint egeri, & per canalem colis cum urina emitti. Unde λιθιδίων οὔρησιν vocat Hippocrates. Ab illis λιθίοις verbum λιθιᾷν factum de his qui plura huiuſmodi λίθια in renibus habent aut veſica, ut iam ſupra attigi. Quamvis nec negaverim lata ſignificatione λιθιᾷν dici etiam de eo qui calculo duro laborat & nullas remittente arenas. Sic paſſim λιθιᾷν Græci uſurpant de omni calculo, ut ipſe Hippocrates λιθιῶντας vocat ſectionis egentes ob maiorem in veſica calculum. Verum ut antea notavi, τὸ λιθιᾷν magis proprie de calculis minutis, id eſt, λιθίοις, vel λιθιδίοις. Ergo λιθιᾷν veſica etiam dicitur quæ referta eſt huiuſmodi calculis exignis arenæ ſimilibus. In genere tamen, & latiore ſignificatu omnes calculi tã in veſica quã in renibus quibus ἰσχυρία contrahitur, nomine λιθιάσεως appellantur. Nam ut modo dicebam non ſolum illa λιθίασις quæ proprio nomine

ſic

ſic appellatur à copia λιθίων quæ in veſica ſunt, ſigno illo ψαμμωδέων quæ egeruntur cum urina, cognoſcitur, ſed etiam ea quæ de maiore calculo dicitur. Talis calculus etiam interdum egeſtione arenarum per urinam prænuntiatur ac prædicitur, ſive dum formari & concreſcere incipit, ſive poſtquam iam formatus prorſus eſt ac concretus. Sed oportet, quod iam toties monui, ut eius naturæ ſit quæ abradi de ſe aliquid patiatur, ſive arenoſa illa coagmentatio ſit, ſive ſquamoſa, ſed in fragmina ſolvi facilis, utraque, utpote non nimis adſtrictis corpuſculis cõpoſita. De calculo coagulari incipiente ſcribit Galenus in libro de Renũ affectibus, quo loco ait dũ cõcreſcit calculus arenas ejici per urinã ſolere: ubi concrevit non poſſe ipſum amplius ejici, ſi nimis nimirũ induruerit, ſed poſſe per particulas excerni ſi talis eius natura ſit. Hæc eius verba ſunt de calculis renũ, quos differre inter ſe figura, colore, magnitudine, aſperitate, & numero perhibet: φέρονται δὲ ψαμμία καὶ ἐξουροῦνται ἐν γενέσει τούτων. μετὰ δὲ τὸ γενέσθαι λίθον, ἀδύνατον ἐξενεχθῆναι αὐτὸν διὰ τὸ πωρωθῆναι, εἰ μὴ ἡ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν θρύψῃ αὐτὸν, καὶ ἐκκρίνῃ. *In horum lapidũ generatione eunt cum urina arenulæ. Vbi vero calculus coagmentatus fuerit, tum impoſſibile eſt per uri-*

nas ejici, quia induratus concrevit, nisi si ex ipsa sui natura per se fragilis reddatur, & egeratur. Ergo calculus iam concretus etiam arenarum egerendarum signo potest indicari, si friabilis sit & fragilis, ex molli vel arenosa substantia coactus, vel cum incipit in lapidem cogi, nondum ex toto induratus. Hoc idem etiam Hippocrates de vesicæ calculo quo pueri sæpius tentantur, scribit: Σημήϊα δὲ ἡ νοῦσος ἔχει πέντε, ἐπήν τε οὐρῆσαι θέλῃ πονέεται. καὶ τὸ οὖρον κατ' ὀλίγον ῥέει ὥσπερ στραγγουριῶσι. καὶ ἐστὶν ὕφαιμον οἷα τῆς κύστεως ἡλκωμένης ὑπὸ τοῦ λίθου. καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει. ἀλλὰ τοῦτο μὲν ἀφανὲς, σημήϊον δὲ ἀκροποσθίη. ἐστὶν ὅτε διουρέεται ψαμμώδεα, ὑπὸ τοιούτων δὲ οἵων ἐγὼ ἐρέω. *Hic morbus signa habet quinque. Cum vult urinã reddere dolore afficitur. Item urina eius minutatim it, ut illis qui stillicidio laborant Eam quoq; quasi sanguinolentam reddunt ab exulcerata vesica à calculo. Vesica inflammatur. Sed hoc quidem non manifestum, nisi ex summo præputio. Interdum & arenosa egeruntur, sed iis modis & ob eas rationes, quales ego exponam.* Egregius omnino locus, & maximè accommodus nostræ controversiæ dirimendæ, sed secundum me plane dijudicandæ. Quinque hæc signa sunt quæ proponit calculositatis vesicæ in pueris. Dolor in urina reddenda. Urinæ stillicidium. Eadem subcruen-

cruenta ex veſica à calculo ulcerata. Veſicæ inflammatio. Arenarum egeſtio. Sed hoc quintum ſignum non omnibus calculoſis accidere dicit, cum ſcribat, ἔςιν δὲ ὅτε διουρέεται ψαμμώδεα, ὑπὸ τοιούτων δὲ οἵων ἐγὼ ἐρέω. *Interdum & excernuntur arenoſa, ſed cum his modis rationibusque quas dicturus ſum*. Dicit ſe explicaturum quando aut quomodo fiat ut aliquando excernant arenas pueri calculoſi, interdum vero & lapillos grandiores. Subiicit enim protinus, aliquando ab iis & lapides egeri, duos pluresve. Διουρέεται δ' ἔςιν ὅτε λίθους δύο, ἢ καὶ πλέιονας. Addit: ἕτεροι δὲ σμικροὶ, τρόπῳ τῷ αὐτῷ ὥσπερ καὶ μίαν εἴρηκα. Illi ἕτεροι μικροὶ λίθοι, ſunt ψαμμώδεα, quæ & alibi λίθων λεπτῶν nomine vocavit. Mox explicat quomodo calculoſi interdum arenoſa ejiciant, interdum grandiores calculos duos aut plures. Ἐπὴν ὁ λίθος, inquit, συμπαγῇ καὶ βάθος γένηται εἰς τὴν κύστιν τῇ ψάμμῳ τῇ γινομένῃ χωρὶς, ἐλθούσης δὲ τῆς ψάμμου, ὁ λίθος μὴ προσλάβῃ πρὸς ἑαυτῷ, ἀλλὰ καὶ βαθυτέρη καὶ πλείων γένηται, ὥστε μὴ πήγνυσθαι αὐτὴν πρὸς ἑαυτὴν, καὶ οὕτως δύο λίθοι, γίνονται δὲ καὶ πλείονες, τρόπῳ τῷ αὐτῷ, καὶ ξυγκρουομένων πρὸς ἀλλήλους τῇ κλονήσει περιθραύεται καὶ διουρέεται τὸ ψαμμῶδες. ἐςὶ δὲ ὅτε καὶ ἐπὴν κατέλθῃ ψάμμος πρὸς τὴν κύστιν, καὶ μὴ περιπαγῇ. *Cum concreverit calculus, & alte in veſica ſubſederit,*

 ſeor-

ſeorſim ſeparata arena, cum calculus accedentem arenam non adprehenderit, ſed copioſior & gravior extiterit, adeo ut non invicem coagmentari queat, tum duo calculi gignuntur, aliquando & plures, quibus inter ſe fricatis & colliſis, concuſſu arenoſum comminuitur, & per urinā excernitur, interdum autem ſi arena in veſicam deſcenderit, nec tamen cogatur nec coagmētetur. Duos omnino modos explicat quibus arenoſa excernuntur in calculoſis. Primum eſſe dicit, cum calculus in veſica concretus, omnes arenas prę copia non poteſt adprehendere & adgregare, unumque ex his grandem calculum formare, ſed arenæ præ multitudine ſeparatæ & actæ ſeorſim, alios ſeparatos ac minores cōpingunt calculos. Tū plures lapilli fiunt minores, qui aliquando excernūtur per urinam. Hoc eſt quod dixit ante, ἔστιν δὲ ὅτι διουρέεται λίθους δύο ἢ καὶ πλείονας. ἕτεροι δὲ σμικροὶ τρόπῳ τῷ αὐτῷ ὥσπερ μίαν εἴρηκα. Sæpe etiam accidit, ut illi calculi intra veſicam agitati & inter ſe colliſi, comminuantur, & inde arenoſa ex illis, utpote ex arena compoſitis, effluant & excidant per urinas. Hic primus eſt modus quo calculoſis arenoſa cum urina redduntur. Hoc plane eſt quod ſcripſit Celſus, *Calculum arenoſum & ante manifeſtum eſſe, quoniam & urina quæ redditur a-*

reno-

renosa est. Arenosa porro etiam egeruntur cum arenæ multæ in vesicam delapsæ fuerint, quæ in calculum corporatæ non sint, nec in lapidem coactæ. Quod his verbis expressit Hippocrates: ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἐπὴν κατέλθῃ ψάμμος πρὸς τὴν κύστιν, καὶ μὴ προσπαγῇ. Et istud prorsum est quod in Epistola ad te scripseram, *quisquis arenosa effunderet per urinam, quæ in imo urinæ subsiderent, certum esse hoc signum in eius vesica arenas aut calculos esse.* Nimirum arenosos. Quod ita ex loco isto quem ante attulimus manifeste probatum apparet, ut mihi armamentarii vice sit, unde depromam tela certissima contra tuam interpretationem, neutiquam in vanum casura. En tibi signum calculi ex arenosis in urina subsidẽtibus, non semper quidem, sed cum calculus ex arenis compositus est, vel cum arenæ ipsæ non compactæ in corpus, vesicam oppleverint. Alias si πῶρος sit durior & concretior, tum frustra signo arenosæ ὑποστάσεως eam cognoscere ac prædicere labores. Addit Celsus ibidem esse & mollẽ calculum, qui possit indicari per urinas quasi squamulis ex eo abrasis, cum ex pluribus minutisque, sed inter se parum adstrictis sit conflatus. Talis est generatio margaritarum in conchis. Lapides quippe sunt qui eo modo

in concha concrescunt, ut calculus etiam sepe in vesica, per squamas alias aliis quasi superstructas. Aliquando etiam usu venit, ut calculus qui in vesica concrescit, ex una parte mollis sit vel arenosa substantia præditus, ex altera lapideus vel tophaceus. Lapides quippe in metallis varii generis ita sæpe reperiuntur, ex parte una in eodem corpore lapidei, ex alia arenosi, vel alio modo. Arenosæ igitur ὑποστάσεις, non possunt procedere, nisi ex arenarum copia & quasi saburra, quæ in renibus est ac vesica, vel ex arenoso calculo, qui pariter in vesica, vel in renibus innatus sit, sive iam formato, sive formari cœpto. Et sic intelligendus est Avisenna lib. I. Fen II. doctrina III. cap. VI. his verbis واما لرملي فيدل دايما على حصاة منعقدة او في الانعقاد او في الانحلال. *Arenosa vero* (hypostasis) *significat semper lapidem coagmentatũ, aut coagmentari incipientem, aut qui resolvitur.* Ubicunq; igitur apparent in hypostasi urinarum sabulosa, id est ψαμμώδη, significant unum ex his tribus, aut calculum nimirũ iam concretum, aut eum qui adhuc in cõcretionis est principiis, aut mollẽ. Addere debuit eam eiectionem cum urina sabulosam interdum

& profi-

& proficiſci ex ſola arenarũ multitudine, quæ veſica aut renibus continetur, nondum in corpus coacta. In hoc ſolo caſu locum habet quod idem Aviſenna ſcripſit lib. III. Fen XVIII. Tractatu II. cap. XVI.
ومن كثر الرسوب الرملي في بوله لم
يجتمع فيه حصاة لان المادة ليست
تحتبس. *Et ille in quo plurima eſt hypoſtaſis arenoſa, in eo non adgregatur calculus, quia materia non eſt retenta.* Quod enim adnotãt huic ſententiæ opponi Aphoriſmum Hippocratis, & illa Galeni quæ ſuperius adduximus, in quibus dicitur, arenoſam hypoſtaſim ſignificare veſicæ aut renum λιθίασιν, nequaquam hæc inter ſe pugnant. Alioquin & ipſe Aviſenna ſibi eſſet contrarius, qui loco paulo ante allato dixit, arenoſam hypoſtaſim indiciũ ſemper dare lapidis coagmentari cœpti, aut iam coagmentati, aut ſi putris ſit, & ſolvi facilis. Notandum enim non ſimpliciter ſcribere hic Aviſennam ut eum interpres loqui fecit, *in illo in quo ſedimentum eſt arenoſum non adgregari lapidem*, quod ſine dubio priori illi ſententię contrarium foret. Sed ſcripſit, ut in Arabico eſt, eum in cuius urinis copioſum illud arenoſum ſedimentum reperitur. Et certe qui magna copia egerit arenoſa per

urinam, ſignum vix dubium dat lapidem in eius veſica, aut renibus non concreſcere. Cauſam autem reddit valde probabilem Aviſenna, quia tota materia ſic videtur egeri, nihilq; ex ea in veſica aut renibus retineri, ex quo lapis poſſit cõcreſcere ac cogi, quod Græci συστρέφεσθαι, συνάγεσθαι, συνίστασθαι, & πωροῦσθαι dicũt, Arabes انعقد & اجتمع. Et hoc plane eſt quod Galenus ſcribit in libro de Renũ paſſionibus multos excernere arenas ſine dolore, quibus tamẽ metuendũ eſſe calculũ admonet. Hippocrates quoq; loco ſupra citato & explicato, arenoſa ſæpe excerni dicit ab illis, qui calculum non habeant, quia arenę illæ non in corpus coierint. Cum paucæ numero arenæ, vel arenoſa cũ urina exeunt, tum ſignum videtur, maiorem partem in veſica vel renibus in lapidem converti, vel iam eſſe converſam. Hinc perſpicuum fit quantum interſit ipſos adire fontes. Nam in Arabico extat, ومن كثر الرسوب الرملي في بوله. *Is in cuius urina ὑποστάσεις ψαμμώδης abundat, & copioſa eſt.* Non abſolute igitur verum eſt quod vulgo aiunt, de iis qui arenas emingunt, non metuere ſibi à calculo debere, ſed qui cum magna copia eas cum urina reddunt. Eodem

dē libro & ſequēte capite XVII. quod eſt de ſignis, Aviſenna tradit quanto magis urina clara eſt, & minus eſt in illa quod deſideat, eo ſignificari lapidem eſſe duriorē. و كلما كان البون اشد صفا و ادوم صفاه و اقل رسوب فدل علي ان الحجارة اصلب *Et quanto quæque urina clarior & magis magiſque clara exiſtit, & minor eſt hypoſtaſis, ſignificat lapidem eſſe duriorem.* Sequitur ibidem apud eundem, ſive in ſanis, ſive in ſenibus cum deſident in urina ſabuloſa, ſignum ex eo calculi edi in veſica concreſcentis, non ſolum ſi cum dolore eam reddant, ſed etiamſi citra dolorem. وقيل ان الصحيح و خصوصا الشيخ اذا بال بولا اسود بوجع او بغير وجع انذر بحصاة تتولد في مثانته *Et dicitur quod quando ſani & maxime ſenes mingunt urinam nigram cum dolore, aut ſine dolore, indicat id quod lapis generatur in eorum veſica.* Præcipue inquit, hæc ſignificatio confirmatur, ſi appareat id quod deſidet in urina eſſe ſabuloſum. و يتم الاستدلال في جميع ذلك ان رايت رملا يرسب. *Et perficitur ea ſignificatio in*

 omnibus

omnibus iſtis, ſi videas arenam reſidentem. Addit, tum magis id eſſe, ſi arena illa tendat ad rubedinem & citrinum colorem. His tot teſtimoniis omnium veterum medicorum, Græcorum, Arabum, Latinorum confirmatis, nemo iam queat dubitare, quin arenoſa urina in Aphoriſmo Hippocratis παθογνωμονικὸν ſignum prębeat hominis calculoſi. Non tamen hoc convertitur, Arena in urina ſubſidens ſignum eſt calculoſi, ergo omnis calculoſus indicio urinæ arenoſæ cognoſcitur. Neque hoc verum eſt, neque ſane id dixit Hippocrates, aut quiſquam medendi peritorum. Nec proinde concludi poteſt, ſi quis ſabuloſa non reddat cum urina, eum calculi vitio carere. Quam certum porro ſignum ſit λιθιάσεως ſic expoſitæ, ut eam explicavimus, arenarum egeſtio, unum tibi adhuc locum Galeni dabo teſtem ex libro de Renum affectibus. Genera ibi ſignorum recenſet, quæ tripertito dividit, ut alia ſint ἐπιστημονικὰ, alia τεχνικά, alia ἴδια. Quod vocatur ἴδιον σημεῖον illud eſt ſignum plane demonſtrativum, certum, & proprie factum ad eam rem, de qua quæſtio eſt, declarandam, quæ eo ſigno ita cognoſcitur, ut alio ac magis proprio non melius nec certius poſſit. Ἰδίου σημείου exem-

exemplũ refert, quo calculus in renibus per deiectas in urinale arenulas significatur. Σημεῖον, inquit, ἴδιον, ἀπαράβατον δηλοῦν ἀμέσως τὸ πάθος, ἤγουν λίθον τὸν ἐν τοῖς νεφροῖς, ἐὰν κατενεχθῶσιν ἐν οὔρου ποτηρίῳ ψάμμια, τότε ἀκριβῶς διαγινώσκεται ὅτι λίθος ἐστὶν ἐν τοῖς νεφροῖς, καὶ ἰδοὺ τὸ ἴδιον καὶ βεβαιότατον σημεῖον. Quod ait de calculo renum, idem & dici debet de calculo vesicæ, ut ipse clare docet in commentario ad hunc Aphorismum Hippocratis quem tractamus. Non omnes tamen arenulæ, ne hoc nobis iterum obiicias, quas sani reddunt, pro signo calculi arenosi accipiendæ sunt, sed illa tantum ψαμμώδεα, quæ dicit Hippocrates in urinis ὑφίστασθαι, *subsidere*, vel ut vertit Celsus, *desidere*. Qui lapilli sunt sive λιθία ad arenæ instar, non grandiores quam ut per caulis fistulam excerni possent, nec porro minutiores quin pro suo pondere queant statim fundũ matulę petere, & in eo subsistere. Minutissimæ vero illæ quas sani reddãt & quæ in οὐροδοχείοις solent ut plurimum circa latera vasis ad hærescere, raroque subsidunt, & similes sunt tenuissimo sabulo quo implẽtur sabulariæ clepsydræ, quas κλεψάμμους liceat dicere, nihil ferme habent σημειωτικὸν τῆς λιθιάσεως. Omne hominũ genus cum magna eas plerumq; copia fun-

fundunt, ſani, ægri: illi quibus eſt iecur calidius, hi per calorem ex febri ardẽtiore, ex ſanguinis aduſtione. Nunc alia argumenta unum & alterum tuæ illi interpretationi Aphoriſmi Hippocratei lubet opponere, quibus fortaſſean haud æque facile reſpondeas, ac ægrum aliquem aliis deploratum deſperatumque poſſes reſtituere. Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισι ψαμμώδεα ὑφίσταται, τούτοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ. Tibi hæc ſignificant, *quibus ſabuloſa in urina ſiſtuntur.* Si ſabuloſa in urina ſiſtuntur intra veſicã, quæro quæ cauſa ea ſiſtat. Non certe urina eſt. Atqui ex tua expoſitione in urina ſiſtuntur. Potius arena illa ſiſteret urinam, quã ab ipſa ſiſteretur. Immo certum eſt ſi tum ſiſtatur urina non ab alia cauſa ſiſti quam ab arena, quæ in veſica ſit. Alterutrum profecto neceſſe eſt, ut urina ſiſtat arenam, aut arena urinam. Si ſuppreſſio fiat urinæ, quæ & ipſa arenam in veſica ſupprimat ac ſiſtat, quo ſigno cognoſcemus, arenam eſſe quæ urinam cohibeat, ſi nulla ante arena emiſſa cum urina ſit, cum tot aliæ cauſæ, ut ante dicebam, urinã cohibeant? At ſi aliquę antea arenæ egeſtæ cum urina fuere, tum certe magnũ ſignũ videtur arenas eſſe quæ eam urinæ ἐποχὴν faciant. Tum locus erit

vul-

vulgari interpretationi omnium doctorum veterum ac recentium, cum arenæ in urina ſubſident, teſtari eas veſicam eſſe calculoſam. Tota ergo tua iſta novæ expoſitionis ſententia eo recidit, ut ſuppreſſas tantum urinas intelligamus. At ſuppreſſæ urinæ nullum dat ſignum arena quæ adhuc cum urina continetur intra veſicam, ſi non aliquando egeſta fuerit. Suppreſſæ autem urinæ multæ aliæ cauſæ ſunt, quæ ſignum de arena reddant incertum, niſi ſe ipſæ manifeſtas dederint. Suppreſſionē igitur urinæ iſtæc tua interpretatio adſtruit tantum. Atqui ſi hoc voluiſſet Hippocrates, ſatis habuiſſet dicere, οἷς τὰ οὖρα ἀφίσταται, vel ut vis ὑφίσταται, τούτοις ἡ κύστις λιθιᾷ. Quid neceſſe illi fuit arenarum adjicere mentionē niſi pro cauſa eas ponere voluit arenę retētæ, aut pro ſigno? Pro ſigno non potuit, quia nō poteſt eſſe ſignū arena latens, ſuppreſſionis eius cuius cauſa latet, quæque poteſt æque aliis vitiis imputari quam arenis. Pro cauſa, vix veriſimile eſt, quia id non fert Aphoriſmi ſententia neque verba, & quia hoc ipſe non vis, ſed pro ſigno poni putas. Cæterum cum ex tua illa expoſitione arenæ ſimul cum urina ſiſtantur, oportet aliqua alia cauſa detur quæ ſuppreſſionem tam

urinæ

urinæ quam arenæ efficiat. Nec enim arena urinam ſupprimit, quia ipſa non eſt craſſior quam ut poſſit per canalem colis tranſire. Niſi ſi forte quis dicat tanta copia obſtruere aliquando os veſicę, ut tranſitus ei negetur. At quis poterit affirmare hanc ſuppreſſionem ex arenis fieri potius quam ex alia cauſa, niſi hoc ipſum ſignificetur aliqua ſaltem arenoſa egerie? Nam ut alias taceam cauſas ἰσχουρίας quæ iam ſupra enumeratæ ſunt, ſæpe vel ſola urina in magna nimis copia & nimis diu retenta hanc ἐπίσχεσιν poteſt operari. Tunc ſi quæ intus arenæ fuerint, etiam ſine dubio cum urina tenebuntur. Alioquin urina non poteſt arenas retinere ne effluant, niſi ſi quæ ſint craſſiores quam ut ire per illum meatum queant. Tum non erunt ψαμμία nec ψαμμώδεα, ſed in aliud nomen tranſibunt, & λίθων potius quam ψάμμου aut ψαμμωδέων appellatione, vel iuxta Hippocratem tuum, cenſeri debebunt. Si arenæ, inquā, in urina ſiſtētur, & hic eſt tua ſententia ſenſus Aphoriſmi, aliqua dāda eſt tibi cauſa illius ἐποχῆς urinę præter ipſas. An erit calculus? Ita ſane oportet, ſiquidem tueri illud tuum ſtudeas, quo ſtatuis reſiſtentem cum urina arenam eſſe calculi ſignum. Quid ſi calculus

ille durus fuerit, & nullæ cum eo vel ex eo arenæ, nullas certe arenas poterit sistere. Sic fallax erit hac etiam in parte Hippocratis illa definitio. Sin arenosus erit ac mollis, non poterit impedire ne arenæ inde excidant aliquæ, quæ eo modo arguent talem calculum in vesica contineri. Alia rursum via tentemus explorare an verum sit quod intendis, ψαμμώδεα sisti in urina propter calculum. Vesicæ calculus aut affixus est ac stabilis, aut mobilis & vagus. Si affixus sit, & ea parte inhæresc at qua exitum urinæ non possit prohibere, ne arenas quidem expelli cum urina prohibebit, dato quod etiam arenæ in vesica sint, aut ut sit arenosus calculus. Nam certe si urina exibit, nullo negotio etiam effluent arenosa quæ in urina erunt. Si movebitur & vagabitur calculus per vesicam, in eum locum depulsus inclinatione ac situ corporis qua officere urinæ effluvio non possit, nec poterit etiam obstare ne ψαμμώδεα una effluant cum urina. Quod si vero prociderit vel appulsu vel illapsu in cervicem vesicæ, & obstruxerit urinæ vias, una cum urina retinebuntur etiam arenæ si quæ in vesica inerunt. Tunc, ut iam aliquoties dixi, si nullæ antea exierint a-

renę, haud ullo poterit ſigno aut cõiectura certa colligi calculum eſſe qui cauſetur ullam ἐπίσχεσιν urinę & arenarũ, cum tot aliæ cauſæ dari poſſint ἰσχυρίας. Quando igitur ψαμμώδεα retenta ac ſiſtentia indicabunt calculoſitatem in veſica? Non enim alia ratione ire ex veſica arenæ impediuntur, niſi etiam urina prorſus intercipiatur prolapſione calculi in os veſicæ, quã πρόπτωσιν vel προόπτωσιν λίθου vocãt Gręci medici. Hippocrates in IV. de Morbis, ubi narrat quomodo lapis in veſica fiat, dum ſubinde materia accreſcit ad calculum generandũ, ψαμμώδεα tamẽ quæ in veſica ſunt identidem effluere dicit, ea præcipue quæ nondum conglutinata fuerint per pituitam, cum reliqua materia quam cogit in lapidem & concorporat. Illa autem ψαμμώδεα quæ ſic excidunt è veſica cum urina, ſi quando tamen excidunt, dum calculus cogitur, ſignum eſſe ſtatuit lapidis concreſcentis, non, ut tu vis, detenta in veſica arenoſa. Ἔστιν δ' ὅτι διουρέεται ψαμμώδεα. Non ſemper quidem arenoſa inter mingendum expelli dicit, ſed cum ejiciuntur per mictum ſignum dare ait calculi. Id præcipue in pueris locum habere ex ipſo Hippocrate ſtatuendum eſt. Nam illis magis familiarem eſſe λιθίασιν veſicę idem affirmat.

firmatur. Et videtur omnino Aphoriſmus de puerorum calculatione magis intelligendus. Cum igitur illi arenoſa excernunt, ſignum eſt calculi in veſica eorum concreſcentis, aut iã concreti. Aliquãdo & lapillos dicit ejici duo vel plures, qui non ſinunt de calculo dubitare. Si λίθοι huiuſmodi in calculo poſſunt liberum exitum habere, tanto liberius ac facilius ψαμμώδεα quæ minutiora ſunt, exeant. Quinque ſigna ibi tradit calculi in veſica pueri generati & concreti, ut iam ſupra retulimus, πέντε σημεῖα, quorum unum eſt, ἡ διούρησις ψαμμωδέων. Non aliter autem τὰ ψαμμώδεα inter illa ſigna locum habeant, niſi ſint ψαμμώδεα in veſica ex quibus calculus componatur. Ideo dicit, ἔστιν ὅτε διουρέεται τὰ ψαμμώδεα. In ea narratione Hippocratis occurrit locus, interpretum etiam iudicio, corruptus, quem hic obiter emendabo. Dicit pituitam eſſe quaſi glutinum in veſica, quo fæx humorum craſſiorum in ea ſubſidentium colligatur cum arenis è rene in veſicam decidentibus, quæ ſimul connectuntur illo glutino. Sic enim τὸ ἐπιὸν ψαμμῶδες accipiendum in his verbis, arenoſum quod ſupervenit, & ingruit, è renibus nempe illapſum, quia nec aliunde poteſt incidere. Πήγνυται δὲ, inquit,

ὑπὸ τοῦ φλέγματος ὠμοῦ ἐόντος, κόλλα γὰρ τῇ ὑποστάθμῃ τὸ φλέγμα μεμιγμένον, καὶ τὸ πρῶτον μικρὴ ἄχνη ἐπιγίνεται, ἔπειτα τὸ ἐπιὸν ψαμμῶδες προσγίνεται, κόλλης γινομένης, τοῦ φλέγματος τοῦ ἐν τῇ κύστει ἐνέοντος ἀπὸ γάλακτος, καὶ αὔξεται. Quæ verba ſic vertenda latine ſunt. *Cogitur à pituita cruda. Hæc enim pro glutino eſt fæci ſubſidenti admixta. Et primo quidem tenuis lanugo ſuperſtat. Deinde ſuperveniens arenoſum adiungitur & adglutinatur, per viſcum illius pituitæ quæ in veſica ineſt ex lacte, ac ſic augetur.* Addit id, quod liquidum ex illa concretione ſuperfuerit per urinam reddi, & ſic ὑποστάθμην illam magis magiſque ſolidari & in lapidem durari, eo, quod liquidius eſt, eiecto Et hoc eſt quod dixit in ſexto Epidemiorũ, τὸ σύναγμα μετ᾽ ἔρησιν παιδίοισι μᾶλλον γίνεται. Id eſt, ut iam explicavimus ſupra, *concretio calculi fit in pueris poſt excretam urinam.* Nam magni medici qui de urinæ ductu in veſica ex renibus deſcendentis accipiunt, omnimodo falluntur. Nuſquam ἔρησις Hippocrati appellatur, niſi excretio urinæ è veſica. Humor quippe ille ſaccatus, vel ſerum percolatum, ubi per renes tranſiit & in veſica ſubſtitit, tum οὖρον proprie dicitur, & οὐρεῖσθαι cum egeritur. Unde ἔρησις de hac mictione tantum, non de ea deſtillatione quæ fit è renibus in veſi-

vesicam, nisi omnem proprietatem verborum pervertere velimus. Si mingunt renes, cacabit & ventriculus. Sæpe etiam οὔρησις accipitur Hippocrati pro ipsa urina. Eam lapidis porro concreti generationē Hippocrates cōparat ferro, quod in fornace per ignem excoquitur & purgatur. Scoria quæ liquidior est emittitur foras, ferrum intus in fornace residet, solidius & compactius expulsa scoria. Sic liquidior pars cū calculus coagulatur in vesica, per urinam ejicitur. Quod fæcis remanet, in lapidis duritiem cogitur ac densatur tanquam ferrum. Ubi, inquit, sic induratus fuerit lapis, vagatur per vesicam, & sursum deorsum impellitur, & dolores excitat, vesicam tundens, & aliquid ab ea abradit si vehementius eam pulsaverit, eamque exulcerat. Sequitur protinus post hæc verba, in Græco Hippocratis: Τό δὲ ἐπιφερόμενον ἔτι μᾶλλον τῷ ἀπιόντι ψαμμώδει, σύμπηξιν ἐργάζεται ὁ λίθος, καὶ γίνεται τρόπῳ τοιῷδε ἀπὸ τοῦ γάλακτος εἰς τὴν κύστιν. Quæ esse corruptissima nemo non vidit, omnes quoquo modo ea corrigere hactenus conati sunt, sed conati tantum. Primum pro ἀπιόντι ψαμμώδει, omnino legendus ἐπιόντι. Nam supra dixit, ἐπιὸν τὸ ψαμμῶδες. Nempe ex renibus in vesicam

incidens. Paulo poſt κατελθὸν ψαμμῶδες dixit πρὸς τὴν κύστιν, id eſt, in veſicam deſcendens, ex renibus ſcilicet. Deinde pro ἐπιφερόμενον indubitatum eſt legi debere, ἀποφερόμενον, ut ex præcedentibus omnino liquet. Dicit lapidem concretum & in veſica mobilem, tundere eam vehementius & exulcerare, & ſic ab ea aliquid auferre: καὶ πόνον παρέχει τύπτουσα τὴν κύστιν, καὶ ἀποφέρει τὶ ἀπ' αὐτῆς ἐπὴν ἰσχυρῶς κόπτῃ, καὶ ἑλκοῖ. *Et dolorem creat, tundendo illam, & aliquid ab ea aufert, ſi quando vehementius tundat, eamque exulceret.* Ecquid illud eſt, quod lapis vehemẽter tundẽdo veſicã, ab ea exculpit & abradit exulceratione? Certe ſanguis eſt. Ergo illud ἀποφερόμενον mixtum cum ἐπιόντι ψαμμώδει, ſupervenienti ex renibus arenoſo, concretionem efficit adhuc maiorem, & coagmentationem ſolidiorem. Sic ergo ſcribendum eſt, in verbis Hippocratis. Τὸ δὲ ἀποφερόμενον ἔτι μᾶλλον τῷ ἐπιόντι ψαμμώδει σύμπηξιν ἐργάζεται. Id eſt, ſanies quæ per lapidem ex veſica exulcerata extunditur, ἐργάζεται σύμπηξιν τῷ ἐπιόντι ψαμμώδει. Hoc eſt, συμπήγνυσι τὸ ἐπιὸν ψαμμῶδες. Hæc ſunt indubitate veriſſima. Quæ ſequuntur ſic eſſe reformanda iam alii viderunt. Καὶ ὁ λίθος γίνεται τρόπῳ τοιῷδε ἀπὸ τοῦ γάλακτος εἰς τὴν κύστιν. Hic modus eſt quo lapis coagmenta-

gmentatur in vesica pueri lactentis. Sequitur de alia ratione qua gignitur calculus in vesicis puerorum ab lacte depulsorũ, & grandiorum. Ἐστὶ δ᾽ ὅτι γίνεται, κἢν τὸ παιδίον ἐὸν γε ἢ ἄλλη τις, ἀπὸ τούτου γένηται. Quæ etiam depravatissima esse consentiunt interpretes, non etiam quomodo corrigenda sint. Puto minima mutatione rescribendum, Ἔστι δ᾽ ὅτε γίνεται κἢν τὸ παιδίον νέον γε ᾖ, ἐὰν λιθιῇ ἀπὸ τούτου γίνηται. *Est etiam cum lapis in puero grandiore eodem modo nascitur, si quando id ei contingat, ut calculo laboret.* Supra λιθίδια vocavit hunc calculum. Νέον παιδίον vocat ad distinctionẽ eius qui lacte alitur. Paulo post αὐξανόμενον appellat. Nã & νεότης dicitur de maioribus pueris, nõ de infantibus qui lacte aluntur. Et νέος idem quod αὐξνόμενος ex etymo Grammaticorum. De lapide porro intelligendũ esse non de ἄσῃ ut reponunt interpretes, quod sequitur ostendit, ἄλλοτε γὰρ καὶ ἄλλοτε ἐπὴν οὐρήσῃ ταχέως ἐπιλαμβάνεται τῆς οὐρήθρης. Quis ἐπιλαμβάνεται τῆς οὐρήθρης, fistulam occupat? Certe lapis, hoc est, λιθὶς de qua præcessit ex nostra correctione. Ex his etiam colligi potest quare in Aphorismo Hippocrates solius vesicæ calculi mentionem fecerit, quia nimirum pueros maxime huic λιθιάσει obnoxios esse credidit. Hanc λιθίασιν per ψαμμωδέων egestio-

nem significari etiam in loco supra citato scripsit, cum inter quinque signa quibus cognoscitur illa λιθίασις, etiam δεύρησιν τῶν ψαμμωδέων reponat. Nec mirum proinde si & in Aphorismo hoc idem signum posuerit calculi vesicæ, τῶν ψαμμωδέων ἐν τοῖσιν οὔροισιν ὑπόστασιν. Quam & Latini medici veteres non aliter interpretati sunt, nisi de sedimento urinæ iam redditæ. Sic enim Celsus accepit lib. II. cap. VII. ubi ad hunc Aphorismũ simul respexit, & eum interpretatur: *Calculosi vero his indiciis cognoscuntur. Difficulter urina redditur, paulatimque, interdum etiam sine voluntate, destillat. Eadem arenosa est, nonnunquam aut sanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur.* Posset videri etiam allusisse ad illum locum, quem paulo ante attulimus ex libro IV. de Morbis. Utrobique idem dicit, quia eadem res est, & eadem signa. Restat nunc examinanda & excutienda notio verbi ὑφίσταται, quo usus est in Aphorismo quem explicamus, & de cuius expositione mihi tecum controversia est. Etiam si alia omnia, quę ante exposuimus pro nobis maxime facientia, pro te maxime militarent, in hoc uno tamen hæreres, & causa caderes, licet cæteris superior. Atqui nec hîc nec illic habes quicquam quo tuam senten-

ſententiam tucaris. Sed multo certe minus tibi ſuffragatur ac favet verbi ὑφίστασθαι ſignificatio, ut apud Græcos omnes ſumitur; & Hippocratem etiam tuum. Non ſatis eſſet, ſi probares alio loco, aut de re alia Coum illum Semonem non hominem, hanc vocem uſurpaſſe eo ſenſu quem illi tribuis, ſed oporteret ut aliquod ex eo πλεονέκτημα ad cauſam tuam trahere poſſes, ubi de urinis ſermo eſt apud Hippocratem, ibi vel ſemel reperiri hoc verbi pro ſiſti ac ſupprimi. Locum unum ſi produxeris, tum ſane victor eſto. Ego vero tibi oſtendam ne in illis quidem locis, ubi de re alia quam de urinis loquitur, verbum ὑφίστασθαι aut nomen inde factum ὑπόστασις, id poſſe ſignificare quod contendis, aut ſi quando eum ſignificatum mens auctoris requirit, tum lectionem eſſe corruptam veris vincam. Hæc enim tria vocabula ſæpe apud Hippocratem cum occurrant, ἀπόστασις, ὑπόστασις & ἐπίστασις, quæ nec eandem habere ſignificationem liquet, vitio librariorum interdum corrupta reperiuntur, & alterum alterius locum temere occupare ſæpiculè deprehenditur. In hoc Aphoriſmo de urinis ſermo eſt, ὁκόσοισιν ἐν τοῖς οὔροισι ψαμμώδεα ὑφίσταται. Tu vis ὑφίστασθαι hic poni pro ſiſti vel ſupprimi. Prome igitur

vel unum locum ex Hippocrate ubi hoc ſenſu id verbi poſitum ab eo fuerit. Nunc animi gratia aliquot locos, prout memoriæ occurrerint, tibi ſuggeram, in quibus idẽ omnino ſignificat ut vulgus medicorũ accipit, & ea notione qua ſumitur ὑπόστασις quæ inde derivatur. Primus ſeſe obvium dat ex libro de Natura hominis, ὁκόσοισι δὲ ψαμμώδεα ὑφίσταται ἢ πῶροι ἐν τοῖσιν οὔροισιν, τούτοισιν τὴν ἀρχὴν φύματα ἐγένοντο περὶ τὴν φλέβα τὴν παχείην. An poſſis hic τὸ ὑφίστασθαι accipere pro ſiſti? Non ſane poſſis etiamſi velis. In Prognoſtico ſic legitur: Καὶ ποτὲ μὲν καθαρὸν οὐρέει, ποτὲ δὲ ὑφίσταται τὸ λευκὸν καὶ λεῖον. Nec hic ὑφίσταται aliud eſt quam ſubſidit, de urinæ nempe ὑποστάσει. In primo ἐπιδημιῶν de Urinis loquens ſic habet: θολερὰ δὲ οὐδὲ καθιστάμενα, οὐδὲ ὑφιστάμενα, ἢ σμικρὰ, καὶ ὠμὰ καὶ κακὰ, τὰ δὲ ὑφιστάμενα καὶ κάκιστα. Et hic nemo ſanus ὑφιστάμενα οὖρα intelligere queat niſi de ſubſidentibus urinis. In ſexto earundem ἐπιδημιῶν, ſic loquitur: ψαμμία τὰ πυῤῥὰ ὑφίσταται, καὶ αἱματώδεες δὲ οὐρέουσι. Vides ψαμμία ὑφίστασθαι eodem ſenſu ab illo dici de arenis in urina deſidentibus, quo in Aphoriſmo, ψαμμώδεα ὑφίστασθαι non de ſuppreſſis aut quæ ſiſtuntur, dixit, ſed de his, quæ ſubſidunt per ὑπόστασιν, arenoſis? In libro de Morbis internis de ictero bi-

ro bilioſo, καὶ οὐρέει ὠχρὸν τὸ οὖρον, καὶ ὑφίσταται, ὑπ᾽ αὐτῷ παχὺ καὶ ὑπόωχρον. Item de pituitoſo, οὐρέει λευκὸν καὶ ὑφ᾽ αὐτῷ ὑφίσταται ὁκοῖον ἄλευρον. Idẽ de quarta nephritide de urina quã huiuſmodi nephritici reddunt, ὄψει τὸ ὑφεστηκὸν παχύ, οἷον ἄλευρον. *Videbis quod ſubſederit craſſum inſtar farinæ.* In illis tamen locis melius forſitan legeretur, ὑπ᾽ αὐτῷ ἵσταται. Ut alibi dixit, pro eodem κάτω ἵστασθαι, quod uno verbo eſt ὑφίστασθαι. Temperabo plura adſcribere cum ſint plura. Licet non hæc tantum ad manum. Sed iam allata ſufficiunt. Peto pro his ut unum tantum producas in quo ὑφίστασθαι ſit idem quod ſiſti ac ſupprimi, cum de urinis ſermo eſt. Nec credideris ſolum Hippocratem ita loqui ſolitũ, ut ὑφίστασθαι ponat pro ὑπόστασιν ἔχειν de urinarũ ſedimẽto. Omnes quotquot ſunt medici alii Græci ſic loqui amant. Galenus in libro de Urinis ſub finem, συμβαίνει γὰρ ὠμὸν καὶ λευκὸν χυμὸν συνεκκενούμενον τῷ οὔρῳ ὑφίστασθαι, καὶ φαντασίαν ὑποστάσεως χρηστῆς παρέχειν. Ita ille locus legendus. An credibile tibi videtur Hippocratem aut quemquam ex aliis Græcum medicum, qui toties ὑφίστασθαι poſuerit de hypoſtaſi urinæ, aliis locis pro ſuppreſſione id verbum uſurpaſſe? In tantum auctorem & tam accuratum in verbis, ne de rebus dicam,

ut eſt Hippocrates, hoc non cadit. Præterea Galenus tam diligens & exactus eius interpres & enarrator, immo etiam gloſſator, ſi alicubi apud Hippocratem tam nova κατάχρησις huius verbi ὑφίςασθαι de urinis aut arenis interceptis ac cohibitis ei occurriſſet, de eo monere neutiquam omiſiſſet. Auctoritas Leoniceni quam hic mihi opponis, qui in hoc Aphoriſmo verterit ὑφίςαται *ſubſiſtunt*, parum te iuvat. Oportuiſſet illum ita eſſe interpretatum hanc vocem ut tu facis. Quod enim Latine reddidit *ſubſiſtunt*, non ex eo poſſis inferre ita Latinam hanc eum vocem intellexiſſe, ut tu Græcam putas. Certe *ſubſiſtere* prorſus mihi videtur pro *ſubſidere* poſuiſſe, dum τὴν κάτω σχέσιν in eo verbo conſiderat, quæ etiam cernitur in verbo *ſubſiſtere* haud minus quam in *ſubſidere*. Nam quæ *ſubſidunt* utique etiam *ſubſiſtunt*. Hinc & vetus interpres cuius verſionem ſupra attulimus, *ſubſtant* reddidit, dum ad Græcum magis accedere vult. Nec tamen per verbum *ſubſtant* ullam ſuppreſſionem, aut detentionem urinarum in veſica intellexit, non magis ſane quam Leonicenus, qui cum *ſubſiſtunt* verterit, ac de urinis iam excretis id intellexerit, de ſuppreſſis in veſica haud potuit urinis id ſumere. Ad verbum

verbum ὑφίσασθαι est *subsistere* & *substare*. Quibus Latinis vocabulis uti quis possit in eadem significatione, quo Græci utuntur illo ὑφίσασθαι. Quid enim hoc aliud quam κάτω ἵστασθαι, id est substare? Sane & ipse Hippocrates alicubi κάτω ἵστασθαι dixit pro ὑφίστασθαι, ut in lib. IV. de Morbis, de lacte in caseum coagulato cuius pars gravior subsidit: καὶ τὸ μὲν πῖον, ὃ βούτυρον καλέουσιν ἐπιπολῆς διίσταται, ἐλαφρὸν ἐόν. τὸ δὲ βαρὺ καὶ παχὺ κάτω ἵσταται. Id est, ὑφίσταται. τὴν κάτω στάσιν hoc verbum notat. Addis mox in Epistola, *non posse te melius quam Hippocratem Hippocrate explicare*. Hoc optimum est. Nec aliud volebam. Sed videndum quomodo hoc tibi procedat. *Hic in Coacis*, inquis, *istam vocem eadem significatione posuit*, οἷσιν ἁλμυρώδεα πτύελα καὶ βὴξ ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ χρὼς ἐρυθραίνεται. Adjicis, *& Duretum eodem sensu post Galenum Heurnio medicorum primum sic accepisse, si cui sputa salsa unaque tussis quiescunt, illi rubet corpus*. Ut Duretus fuerit medicorum primus, non ex eo sequitur melius scivisse quid proprie significet ὑφίσασθαι apud Hippocratem, quam aliquis Græce peritior. Non potuit quidem aliter hunc locum Hippocratis exponere, quam de tussi, quę desinit & quiescit, quia mens auctoris eo prorsus trahit, nec aliam fert

fert interpretationem, ſed non vidit ſummus ille medicus verbum ὑφίσαθαι apud Hippocratem non poſſe in ea ſignificatione accipi. Mendoſum igitur eo loco iſtud verbum, & una littera mutata ſcribendum, ἡ βὴξ ἐφίσαται. Vis teſtimonia ex Hippocrate, ὅσα κόνις, quibus liqueat ἐφίσαθαι ſemper ab illo ea notione ſumi? Ecce tibi. In tertio ἐπιδημιῶν dixit ἐπιστῆναι οὖρα & διαχωρήματα, id eſt, ſuppreſſa eſſe. διαχωρήματα καὶ οὖρα ἐπέστη. Ergo etiam mendum eſt quod in eodem libro paulo poſt ſcribitur, οὖρα ἀπέστη, ἀπέθανε φρενίτις, de muliere Cyzicena. Nam omnino legendum, οὖρα ἐπέστη. In primo Epidemiorum, bene ſcriptum eſt: ἔπειτα κοιλίη ἐπέστη. *Alvus ſuppreſſa eſt*, de Clazomenio. Item in eodem libro de Sileno, οὖρα ἐπέστη, πυρετὸς ὀξύς. *Vrinæ ſuppreſſæ, febris acuta.* Recte etiam in eodem libro καταστάσει III. editum eſt, κοιλίαι ἐφίσαντο, *alvi ſiſtebantur.* καὶ κοιλίαι ἐφίσαντο, οὐδὲ ἡμοῤῥάγησαν ἐκ ῥινῶν. At in textu Hippocratis ut apud Galenum editur cum eius commentariis, vitioſe excuſum habetur, ὑφίσαντο. Et ſane conſtat libros ſcriptos, quos etiam aliquando contulimus, plerumque illis locis ubi vulgatæ editiones corrupte exhibent ὑπόστασιν & ὑφίσαθαι, cum de ſuppreſſione & mora

mora agitur, habere rectius ἐφίστασθαι & ἐπίστασιν. Eodem tamen modo recte in vulgatis libris non raro legitur. Ab eo ergo ἐφίστασθαι, quod est stare, sisti, ἐπίστασις non ὑπόστασις pro mora, restitatione, cessatione vel cohibitione legi debet. Nihil igitur tibi prodest quod adjicis in tuis, *banc significationem verbi ἐφίστασθαι pro sisti, confirmare nomen ὑπόστασις eodem sensu Hippocrati sæpius usurpata*. Sanè, inquam, oportet ubicunq; ὑπόστασις κοιλίης aut οὔρων occurrit apud Hippocratem, ibi legi & corrigi sine mora ἐπίστασιν, quia vitio librariorum ea altera irrepsit mendosa scriptura. *Sic*, inquis, *in Coacis eidem Hippocrati* ὑπόστασις κοιλίης, *alvus suppressa, sive subsistens*. Immo ἐπίστασις κοιλίης, non ὑπόστασις. In Coacis illis prænotionibus, tribus ut puto locis, perperam legitur ὑπόστασις κοιλίης, in aliis recte ἐπίστασις. Ut in isto, οἷσι ῥῖγος, οὔρου ἐπίστασις. *Quibus rigor adest, iis urina restitat.* Item in isto, οἷσι λύγγες, κοιλίαι καταῤῥήγνυνται. ἴσως καὶ ἐπίστασις. *Iis alvus effunditur, fortasse & sistitur.* Quæ igitur ratio est ex corruptis locis velle emendare saniora, cum contra fieri debeat? ὑπόστασις corruptũ est pro mora vel detentione, quæ ἐπίστασις est. Vnde ἐπιστᾶσα κοιλία in iisdem Coacis alvus quæ nihil reddit, quæ moratur. Item δι-

δυσεντερίη ἀκαίρως ἐπισᾶσα, *intempestive suppressa, & quæ sistitur dysenteria*. Certe ibi locũ non haberet ὑποστᾶσα. In iisdem Coacis, ὅσοι κοιλίης ἐπιστάσης αἱμοῤῥοέουσι, *qui morante alvo, ac suppressa sanguinem fundunt*. Item surditatem in febri scribit eodem libro Coacarum, alvum sistere ac morari, ἐν πυρετοῖσι κώφωσις κοιλίαν ἐφίστησιν, non ὑφίστησι. Alio loco earundem τὰ γυναικεῖα ἐπιστῆναι dixit, muliebria subsistere ac cessare. Τὰ δὲ γυναικεῖα μὴ ἐπιστῆναι, χρήσιμον. *Optimum est muliebria non sisti*. Idem quod ἐπισχεθῆναι. Hinc & ἐπίστασις κοιλίας & οὔρων apud eundem, idẽ quod ἐπίσχεσις οὔρων & κοιλίας, qua locutione etiam sæpe utitur. In tertio prorrhetico, οὔρου ἐπίστασις, καὶ οἷσι ῥίγεα ἐπὶ τούτοισιν. In eodem libro, οἷσι κοιλίης ἐπίστασις αἱμοῤῥαγέει καὶ ἐπιῤῥιγέει. In eodem paulo post, τὰ ὑποκαρώδεα, ἰκτερώδεα οὐ πάνυ αἰσθανόμενα, κοιλίη καταῤῥήγνυται, ἴσως καὶ ἐπίστασις, οὗτοι ἐκλύονται. *Iis alvus deiicitur, interdum & suppressio eius existit*. Nolo plura, quia licet ad manum, nisi hæc sufficiant, nihil sufficiet. Unum adhuc urges ac premis, quod ex iis tamen quæ præcesserunt, facile solvi potest. *Sic* ὑποστασίας ὑγρῶν, inquis, *quod itidem frequens est apud eundem, Galenus exponit* τὰς ἔνδον μονὰς τῶν ὑγρῶν ἃ προσῆκεν ἐκκρίνεσθαι. Haud scio quam id frequens oc-

currat

currat apud Hippocratem, ſed ſcio ubicunque occurrerit, mutandum eſſe in ἐπιστασίας, vel ἐπιστάσεις. Uno loco tantum, niſi me fallit memoria, id legitur apud Hippocratem, ubi Galenus τὰς ἔνδον μονὰς τῶν ὑγρῶν interpretatus ſit, in libro περὶ ἄρθρων, his verbis, ἢν γὰρ χόνδρος ἄρξηται ψιλοῦσθαι καὶ ὑποστάσιας ἔχῃ πυρώδεας ἢ χαλόδεας ὀχληρόν. Galenus certe in commentario tertio ad illum locum ὑποστασίας exponit τὰς ἔνδον μονάς, ſed manifeſtũ ex eo eſt ἐπιστασίας illũ legiſſe, cum ſic interpretabatur, non ὑποστασίας. Morantes & reſtitantes intus humores qui excerni deberent, ἐπιστάσεις recte Hippocrati ibi appellantur, ut ἐπίστασις οὔρων, ἐπίστασις γυναικείων & ſimilia. Sic cum aliquis in curſu reſtitat & moratur & repente curſum inhibet, ἐπιστῆναι dicitur Græcis, & ἐφίστασθαι, ut οὖρον Hippocrati ἐφίσταται urina quæ non it, & κοιλία ἐφίσταται alvus quæ moratur, ἐπιστᾶσα. Polybius de exercitu procedente & ſubinde reſtitante: ὁ δὲ ἐπορεύετο ἄλλοτε καὶ ἄλλοτε ἐφιστάμενος. Ὅσον δ᾽ ἂν χρόνον τὸ ἡγούμενον τοῦ στρατεύματος ἐπιστῇ τοσοῦτον ἀνάγκη χρόνον δι᾽ ὅλου τοῦ στρατεύματος γίνεσθαι τὴν ἐπίστασιν. *Ille autem incedebat itentidem reſtitans. Tantiſper autem dum primum exercitus agmen ſubſiſteret, neceſſe erat & reliquas exercitus partes quæ ſequebantur, moram eundi facere.*

Optime

Optime hæc verba indicant quid sit ἐφίστασθαι Græcis & ἐπίστασις, cessatio, mora, restitatio. Quod in exercitu cum inter eundum aliquando stat, ac resistit, dicimus vulgo, *faire alte*. Vos Belgæ, *blÿven staen*, aut, *stil staen*. Unde ἐπίστασις pro mora, μονή, vel cessatio, statioque. Nam ἐπίστασις pro simplici στάσις. Nam ἔστη οὖρα Hippocrati, idē quod ἐπέστη. Eidem σχέσις οὔρων pro ἐπίσχεσις. Ἐπέστησεν δρόμου apud Suidam, *à cursu repressit & cohibuit*. Apud Dionysium Halicarnasseum sæpe eo sensu ἐπιστῆσαι sumitur, ut lib. VI. ταῦτα φοβερώτατα μοι φαίνονται, εἰ μὴ τάχεως αὐτὰ ἐπιστήσομεν ἐσχάτης ἀναστροφῆς καὶ συγχύσεως τῶν κοινῶν αἴτια. *Hæc mihi maxime formidanda videntur, & nisi reprimamus ea celeriter, extremæ subversionis & confusionis reipublicæ in causam cessura.* Idem lib. IV. βούλομαι δ' ἐπιστήσας τὸν ἑξῆς λόγον, ἀποδοῦναι τὰς αἰτίας δι' ἃς οὔτι Φαβίῳ συγκατατίθεμαι. *Volo ego interim suppresso, vel dilato ad ulteriora sermone, causas reddere cur Fabio non assentiar.* Hinc ergo apud Hippocratem tot locis, & ἐπίστασις οὔρων, κοιλίας, γυναικείων, ὑγρῶν, ἐπιστᾶσα κοιλία, ἐφισταμένον οὖρον, & similia. Hinc etiam ἐπίστημον apud eundem Hippocratem Galenus in Glossis eius, exponit ἐπιστατικὴν & ἐφεκτικὴν, suppressivam & cohibitoriam. Interpretatur etiam σύννουν, id est, cogita-

cogitabundum. Sane qui de re aliqua meditabundi cogitant, ſuſpendunt interim mentem ſuam ac iudicium, nec illud præcipitant, ſed intra ſe id de quo quæritur volutant, & retinent, diu multumque verſantes. Quod non faciunt προπετεῖς, & futiles homines, quibus mens ad prima quæque viſa effunditur, eodem modo quo qui citatã alvum habent ad emittenda quæ retenta oneri ſunt, impetu feruntur. Non ita ſunt homines συνετοί, & prudentes, quales vulgo in idiomate noſtro vocamus *Retenus*, id eſt, ἐπιστατικοὺς & ἐφεκτικούς. Inde ἐπίστασις etiam pro attentione & conſideratione. Qui enim aliquid penſius attentiuſque conſiderant, retinent ſe ac reprimunt, quo melius quid in re ac cauſa ſit, perſpicere queant. Ἐπίστασις eo ſenſu ſæpe apud auctores occurrit pro προσοχῇ & γνώσει. Faceſſant igitur deinceps ex libris ac ſcriptis Hippocratis illæ voces ὑπόστασις, & ὑφίστασθαι pro reprimi, ſubſiſtere, ſiſti, ac ſuppreſſione, cum ἐπίστασις & ἐφίστασθαι in hac ſignificatione ſolum debeant regnare. Ὑπόστασις eum, ut Græci notant, τὴν κάτω σχέσιν tantum deſignat. Eſt enim idem quod ἡ κάτω στάσις. Ac ἐπίστασις contrarium eſt. Unde & accipitur interdum apud Hippocratem pro eo quod ſuperna-

tat, ut & verbum ἐφίσαται. Ut in lacte pingue eius ἐφίσαται, ut ſerum ὑφίσαται. At ἐπίστασις cum remorã & ſuppreſſionem ſignificat, idem ferme quod ſimplex στάσις. Unde Hippocrati στάσις αἵματος φλεβῶν idem quod ἐπίστασις. Aliquando & τὴν ἄνω σχέσιν notat, ut ὑπόστασις τῆ κάτω. Unde & in urinis ὑπόστασις apud medicos locum habet tantum pro eo, quod nemo ignorat. Inde & ὑποστάθμη fæx eſt, quia fundum petat. Ariſtoteles etiam urinam quæ in veſica eſt ὑπόστασιν eſſe dicit humorum corporis, quia ex toto corpore ſaccatũ & percolatum illud ſerum veſicam quaſi fundum vaſis petat, & in eo deſideat. Idem in Problematis de urina: τὸ τοιοῦτον ἐν μὲν τῇ κάτω ὑποστάσει, οὖρον καλεῖται, ἐν δὲ σαρκὶ ἱδρὼς, ἄμφω δὲ ἁλμυρὰ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. Veſicam vocat τὴν κάτω ὑπόστασιν. Quid ſit ὑπόστασις apud Theologos ac philoſophos in alia longe ſignificatione, non es docendus. Sed nec profecto me docere unquam poteris, ὑπόστασιν pro urinæ aut cuiuſcunque alterius rei ſuppreſſione ſumi, neque verbum ὑφίσαται idem eſſe quod ſtare vel ſiſti. Nullæ ergo ὑποστάσεις ὑγρῶν apud Hippocratem legi debent, ſed eæ ſunt ἐπιστάσεις. Quod ipſum nec frequens eſt, cum uno tantum loco habea-

habeatur, ut diximus. Galenus qui μονὰς vertit, se legisse eo ipso ostendit ἐπιστάσεις. Nã ἐπίστασις, ut iam notavi, idem fere quod simplex στάσις. *Solstitium* quod Latinis dicitur, Græce æque diceretur ἡλίου στάσις, & ἐπίστασις, quia tum stare & cursum suum inhibere creditur. Hoc etiam est μονὴ, mansio ac statio. Hinc & ἐφίστασθαι de exercitu, cum pausam eundi facit, vel ἐπίστασιν, quod nobis *faire alte*. Suidas interpretatur ἀναμένειν. Cum autem scripserit Galenus ad eum locum Hippocratis, ὑποστάσεις, immo ἐπιστάσεις, τῶν ὑγρῶν, esse τὰς ἔνδον μονὰς τῶν ὑγρῶν ἃ προσῆκεν ἐκκρίνεσθαι, idẽ vis, & *indicare eumdem Hippocratem in hoc Aphorismo, si arenæ quæ vacuari cum urina deberent in vesica subsistant, signum esse in ea generari calculum.* At ô Decus ἰατρευόντων, quale hoc signum esset, quod æque obscurum ac ipse morbus quem indicat? Occultæ musices nullum respectum esse Greci proverbio dicunt. Occulti signi medicis non video quis respectus esse debeat. Tu signum calculi cum ipso calculo vesica includis, & vis id quod æque latet, vitium prodere rei una in eodem loco absconditæ? Adiicis hoc esse quod ipse dico, *subsidentes huiusmodi arenas in vesica omnino facere, ut* λιθιᾷν *dicatur.* Ut ego hoc dixerim?

Nunquam factum. Aut si factum, manus exerravit non mens. Sic χειρογραφικὸν fuerit σφάλμα, non τυπογραφικὸν. Tota mea epistola contra stat, nec minus sententia. Non memini quid tum ad te scripserim, & an epistolæ meæ verba ita concepta sint, sed scio hoc me ubique in illis litteris voluisse, subsidentes in vesica arenas non posse signa dare calculi in vesica latentis. Quid aliud reliqua ex eadem epistola à te prolata tinniunt, quæ & refutare aggressus es? An in fine demum, post multas rationes à me allatas quibus impugnare tuam opinionem conatus sum, repente mutata mente manum tibi porrexerim? mihique ipsi contradixerim? Vide ne manus potius per errorem id commiserit invito & minime conscio animo. Si tale quid in mea epistola legitur, quale citasti, scias pro *in vesica* me voluisse scribere *in urina*. Vel certe hoc modo: *Subsistentes huiusmodi arenæ, vesica omnino faciunt ut λιθιᾷν dicatur.* Nihil verius, aut si verũ non est, nihil falsius fuerit Hippocratis Aphorismo, nihil ipso auctore fallacius, nec omnibus medicis antiquis qui eum sequuti sunt, idemq; docuerunt, imperitius. Subiungis ibidem: *At hoc non faciunt, quæ cum urina excernuntur, nec calculi indicium sunt. Non*

magis

magis quam si dicamus qui excernit bilem laborat ictero, qui pituitam ei œdema molestum. Quod scis tibi rem esse cum eo qui medicus non est, ideo ea dicis quæ profecto non auderes promere, si cum artis perito consisteres. Ludibrium plane ei deberes. Tuto tibi hæc volant, quia ad imperitum medicinæ diriguntur, qui nesciat quid sit icterus, quid sit œdema, fortassean etiam nec quid bilis aut pituita. In hac tamen mea rerum medicarum inscitia, quasi per nebulã & caliginẽ videor videre non esse simile quod pro simili adducis. Quæstio est nobis ac lis de calculo, qui morbus est internus ac latens. Ideo & inter τὰ ἐντὸς πάθη id vitium recenset Hippocrates, sive sit in renibus, sive in vesica. Externo aliquo signo huiusmodi internæ passiones, ut cognoscantur, omnino prodi ac prodire foras debent. Hippocrates huius λιθιάσεως, de qua hic tractamus, quinq; signa esse tradidit lib. IV. de morbis, omnia extra posita, aperta, & in oculos incurrentia, quorum unum facit, & διούρησιν τῶν ψαμμωδέων, ut supra ostendimus. An illa διούρησις ψαμμωδέων tibi videtur accipienda de arenis in vesica subsidentibus? Sed hæc iam satis discussa. Icterus sua quoque habet signa παθογνωμονικὰ quibus prodatur,

& illa etiam patentia, quibus fides fiat de ipſo morbo qualis ſit, & cui ſpeciei ictericorum qui eo laborant, aſſignandi. Nam nec me, qui medicinã ignoro, latet plura à vobis medicis genera icteri numerari. Dicitis eſſe criticũ alium, alium ſymptomaticum, alium naturalem. Hippocrates in libro de Morbis internis quattuor eius ſpecies facit. Τέσσαρες ἴκτεροι. Eorũ omniũ cauſas, ſigna, & curationes memorat. Quod dicis hic autẽ, *Si quis excernat bilem non poſſe ex eo colligi ictero illum laborare.* Ita puto excerni bilem te dicere, cũ urina χολώδης excernitur, id eſt, crocea, vel lutea, quo colore urinæ bilẽ in corpore abundare cognoſcitur. Hæc οὖρα χολώδεα non ſemper icterũ ſignificant, quãvis & eum interim quoque. At arenoſa excretio, aut nullũ morbũ indicat, aut certe arenoſi calculi indicium dat. In pueris præcipue, qui & magis eum calculũ patiuntur quam viri, & qui raro arenas egerunt, niſi quæ calculum minentur, & quidem arenoſum non alium. Urinarum χολωδέων ἔκκρισις, commune eſt ſignum, non proprium icteri. Scio quomodo τὰ κοινὰ σημεῖα ἀπὸ τῶν ἰδίων veſtræ ſectæ conditores diſtinguant. Arenoſam porro egeriem ἴδιον eſſe σημεῖον λιθιάσεως, nõ ego ſum qui dico, ſed veſter hoc docet Gale-

Galenus in libro de Renum affectionibus. Non curo quid contra veterum ſcita vos novitii Aſclepiadæ ab experientia quotidiana dicere poſſitis, mihi ſatis eſt oſtendere ita eos ſenſiſſe, à quibus diſſentire pæne vobis piaculare ſit. Non putem te inficiari poſſe quin & χολώδης urina, hoc eſt bilis excretio, ſignum etiam ſit icteri. Hoc Hippocrates ipſe affirmat in libro de morbis internis, ubi primam icteri ſpeciem deſcribit. Dicit enim eos ictericos, οὐρέειν ὠχρὸν τὸ οὖρον, *luteam vel croco tinctam urinam egerere.* Addit, & τὸ οὖρον ὑφίστασθαι παχὺ ὕπωχρον: *ſubſiſtere in ea urina, craſſum & ſubluteum ſedimentum.* Unde autem illud ὠχρὸν in urina icteroſi, niſi ex bile quo coloratur? Non diſputabo hic de cauſis quæ faciunt ut bilis in veſicam ictericorum effundatur, neque de differentiis huius morbi, quæ vobis relinquo tractanda, ne ſutor audiam ultra crepidã. In tertio genere Hippocrates dicit etiam eos οὐρέειν ὠχρὸν, καὶ παχύ. *Craſſum & luteum.* Et illud luteum à bile quo urina tingitur. In quarto ictero alia urina eſt, nempe alba. Quia nimirum ἴκτερος ille non ex bile, ſed ex pituita. Nec opus eſt alia quærere ſigna auruginoſi, cum ipſa ſemetipſam prodat, præcipue illa quam

naturalem appellatis. Τῷ χρωτὶ δῆλα inquiebat Pherecydes, cum ſuam φθειρίασιν Pythagoræ præceptori oſtenderet. Cum aliquis videt ſcabioſum, non quærit ſigna ſcabiei, quia ipſa toto corpore emicat. Ignem lucentem ſplendide ubi adſpicio, non opus habeo ſignis quæ mihi indicent illic eſſe ignem. Sed quando ſub cineribus latet, in ſtipite ſemiuſto & vix fumante abditus, tum debeo explorare per indicia foras promicantia an ibi tegatur ignis. Nemo venator veſtigiis feram perſequitur, aut latibulum eius ſcrutatur, ubi ipſam in conſpectu habet. Hinc proverbium Arabicum, لا اطلب اثرا بعد عين *Non quæro veſtigium poſt ipſum.* Id eſt, ubi hominem teneo, non eum̃ inveſtigo. Sic melius vertatur, quam ut eſt apud Erpenium, *poſt oculum.* Nam عين, pro perſona ipſa Arabibus ponitur. Ita auruginoſus cum toto corpore de ſe indicium aperiat, non eſt aliis ſignis exquirendũ an laboret ictero, qui totus apparet luteus, quia cutis colore morbũ fatetur. Sed cum variæ ſint icteri ſpecies, eodem colore ſe prodentes, per ſigna explorandũ alia, quæ ſpecies ſit. Sed illa ſigna omnia debent eſſe aperta, & ut ita dicã cum Seneca, *oculiferia.* Eſt etiam

icteri genus, quod ipſum ſignũ eſt alterius paſſionis, ut ille eſt quem vocatis ſymptomaticum, qui hepatis ſcirrhum, vel inflammationem, vel obſtructionem teſtatur. Et hic ſigno viſibili paſſio non viſibilis manifeſta fit. Criticus quoque icterus pro ſigno eſt. Nam κρίσεις omnes in medicina ſigna ſunt. Nunquam autem res occulta pro ſigno ſumi poteſt rei etiam abditæ. Quod addis ex pituitæ excretione non indicium fieri de œdemate, certe tale eſt, ut nec reſponſionem mereatur. Nam & trahi longius ea deberet, & parũ ad rem hoc ſimile pertinet. Nemo dixit unquam medicus pituitã quę excernitur, œdematis ſignũ ἴδιον eſſe, at omnes ſcripſere antiqui poſt Hippocratem, ſed & cum Hippocrate medici, calculoſos fieri manifeſtos arenarum per urinam egerie, ſive calculus veſicæ ſit, ſive renum. Priuſquam Epiſtolã claudamus quid de tota hac noſtra diſſertatione colligi poſſit, quo conſulatur dubiæ Aphoriſmi veritati, videndum. Falſum eſſe Aphoriſmũ qui Galenum aiunt dicere, falluntur ipſi. Mutilum duntaxat eſſe, quia de veſicæ tantum calculo id affirmet, non etiam renum, Galenus docet. At cum ipſe Hippocrates, & poſt eum Galenus, aliique medici antiqui perhibeant

certæ ætati peculiarem esse calculum vesicæ, de ea ætate verisimile est Aphorismum proposuisse Hippocratem, quod & Oribasius censuit. Ipse Hippocrates in sexto ἐπιδημιῶν pueris magis in vesica calculum concrescere ait. Alibi etiam explicat quomodo concrescat. Cum ergo in Aphorismo ponit sabulosum sedimentum signum esse calculosæ vesicæ, de eo vitio intelligit quod pueris magis familiare esse dixit quam grandioribus natu. Quos grandiores, nephritide, id est, calculo renum frequentius laborare autumat. Quia igitur calculus vesicæ, & calculus renum ita diversa sunt vitia ac morbi, ut diversis accidant ætatibus, non imperfectus nec mancus habendus Aphorismus qui de altero tantum genere tractat. Mutila vero videri deberet definitio, si calculus tam vesicæ quam renum eidem ætati soleret semper accidere. In Coacis prænotionibus inter morbos qui ante pubertatẽ molesti non sunt, numerat νεφρῖτιν, id est, calculum renum. Rursus ibidem ab anno ætatis quadragesimo secundo usque ad sexagesimum tertium, non gigni calculum in vesica statuit, nisi prius extiterit. Iam liquet ex istis, pueris magis calculum in vesica concrescere, ra-

rius grandioribus, nunquam fere ſenioribus ab anno XLII. uſque ad LXIII. Sic non mutilus Aphoriſmus quia de calculi veſicæ ſigno tantum agat. Videant porro medici, quorum hæc lis eſt, nam meum non eſt negotium, an falſus ſit Aphoriſmus qui arenoſas urinas arenoſi calculi in pueris indicium ſtatuit. De alio quippe calculo quam arenoſo ſtultum eſt intelligere. Nec peccat hac in parte Aphoriſmus, quia ſi calculus ita durus ſit, ut nihil ab eo arenarum deteri poſſit, certum eſt non potuiſſe de tali calculo Hippocratem cogitare, multo minus de eo definitionem condere. Scribis in libro de Calculo cap. VIII. *Ex eo quod pueri frequentius veſicæ, ſeniores renum calculo laborent, oriri differentiam quoad matricem, quod* προϋπάρχον *veteres nominarunt, & ſæpius in rene nonnunquã in veſica conſtitui.* Decernis ipſe ſtatim, *in rene quidem conſtituendam eſſe illam matricem, cum ante cœptam duci urinam, quod eſt Hippocrati* πρὸ οὐρήσεως, *coagmentatum illic ſabulum in veſicam illabitur, ibique corticatim augetur. In ipſa autem veſica generationis principium habere perfecto urinæ ductu, quod eſt* μετ' οὔρησιν *apud Hippocratem, cum ipſa per ſe ſit coagmentatio lapidoſa, quam vocat* σύναγμα. Iam ante dixi me non percipere quid iſtis velles.

velles. Partim enim falsa sunt, quæ nimirum intelligo, reliqua mihi obscura & ambigua. Ex aliis nihil concluditur, nec ex iis ea consequentia ducitur quam inde colligis. Ipsissima fere verba quæ hic posuisti, ea legi in commentario Ludovici Dureti in Coacas ad caput de Morbis vesicæ. Sic enim ille habet: *Lapidosa coagmentatio duplicem habet matricem, quod* προϋπάρχον *nominarunt, unam in rene, alteram in ipsa vesica. In rene quidem cum ante cœptam duci urinam, quod Hippocrati est* πρὸ οὐρήσεως, *illic coagmentatum sabulum, in vesicam illabitur, nec inde illico exclusum, corticatim crescit,* &c. *In vesica autem matrix est perfecto urinæ ductu, quod est* μετ' οὔρησιν *apud Hippocratem, cum ipsa per se sit coagmentatio lapidosa.* Agnoscis pene eadem verba, quorum tamen non est eadem quæ tuorum sententia nec consequentia. Dicis tu, *ex eo quod pueri frequentius vesicæ, seniores renum calculo laborent, oriri differentiam quoad matricem, quod* προϋπάρχον *veteres nominarunt.* Hæc est duplex matrix sive προϋπάρχον, de quo Duretus illo loco. Ut differentia sit matricis quæ calculum parit in vesica, non tamen eam oriri certum est ex eo, quod seniores magis renum calculo laborent, pueri vesicæ. Hinc enim concluderetur aliam

aliam esse matricem quæ calculum in renibus gignit, aliam quæ in vesica. Atqui agitur de matrice quę lapidi in vesica creando principium dat. Eam duplicem esse vult Duretus, ut & alii medici neoterici. Non igitur causa duplicis illius matricis sive foci, calculũ in vesica generantis, procedit ex eo quod pueri in vesica calculum frequentius habeant, natu grandiores in rene. Hoc modo ut duplex focus calculi daretur, ita & duplex locus ac sedes eius concretioni assignaretur, ren & vesica. At quæritur de solo vesicæ calculo quo pueri magis solent laborare quam adulti, an duplex eius matrix detur, vel una tantum. Hoc est, an in ipsa vesica per se concrescat absque ullo rudimento ex renibus tracto, an vero etiam aliquid ex rene prius descendat, quod initium det lapidis qui in vesica creatur, concretioni. Quidam utroque modo volunt calculum in vesica cogi, interim ex arenis à rene in vesicam illapsis, à conglutinante pituita coalitis, interim ex viscido humore per se in vesica coagmentato. Aliis placuit vesicæ lapidem nusquam aliter compingi, nisi ex arenosis à rene profectis & intra vesicam detentis, atque incrementum subinde ab accrescente materia recipientibus, ut Fernelio.

nelio. Aliis,ut Cardano, ſedit ſententia, per ſe ſemper in veſica calculum concreſcere, nunquam ſuggerentibus renibus unde lapis in ea formari poſſit, quia inquiebat, arenæ renum ſunt aſperæ, atque ubi in veſicam deciderunt, eam cruciant atque impellunt ad ſui expulſionem. Si provocemus ad veteres, & ipſum Hippocratem teſtem advocemus, æque confutabit negantes ex rene materiam ſuppeditari ad calculum lapidis fingendum, quam affirmantes in ſola veſica ſine renum auxilio condenſari. In lib. IV. de Morbis plane dicit, in veſica puerorum calculum formari ex viſcido ac pituitoſo humore, qui vicem glutinis præbet deſcendentibus ex rene arenis, τῷ ἐπιόντι ψαμμώδει. In libro autem de aëribus & aquis, ſine ulla mentione ſabuli ex renibus decidentis, ſcribit veſicam per ſe nimio fervore affectam, & eodem vitio, quo κοιλίην πυρετώδη, laborantem, urinam intus detentam ubi concoxerit, & aduſſerit, partem quidem liquidiorem ac tenuiorem excernere, quod vero craſſius eſt & fæculentius, condenſare & cogere. Sed id tum fieri ait, calore naturalem excedente & πυρετώδει, quo ſimul alvus, & ſimul veſica ex συμπαθείᾳ cum alvo, ſolet inflammari. Hic calor

calor cum & maior ſit in pueris quam in ſenioribus, ideo etiam illi calculum veſicæ crebrius conſueverunt pati quam adulti. Sed eum calculum ex pituita viſcida ac glutinoſa, quæ arenas à rene delapſas cogere in unum ſolet, alibi fieri ſcribit, alibi ex ſola pituita craſſa. Fernelius hanc cauſã habebat cur non crederet calculũ ex viſcida ac pituitoſa materia per ſe in veſica poſſe concreſcere, quia non putaret eam ſolam materiẽ poſſe in veſica tantiſper ſubſiſtere, donec efficeret lapidem, cum nec pus, nec ſanguis concretus id facerent. Certe nec Hippocrates in libro de Aëribus, ſolo naturali calore viſcidum ac lentum humorem in veſica cogi in lapidẽ ac συμπωρῶδες poſſe credidit, niſi πυρετώδης, fervor quo una cum alvo afficeretur veſica, accederet atque id præſtaret. Experientia tamẽ hodie docuit, lapides multis in veſica coaleſcere & concreſcere ex ſola pituitoſa & lenta materia, qui ita duri exiſtunt, ut ſaxũ imitentur, nulla arenarũ quæ concretioni cauſam primigeniam dederint, indicio, ſi frangantur, intus reperto. Fruſtra tamen diſputari puto de duplici matrice, & προϋπάρχοντι calculi, utrum à rene alterum veniat, alterũ ab ipſa veſica tantũ ſubminiſtretur. Quidquid illud eſt, ex quo tanquam materiali

rali causa, calculus in vesica cogitur, nonne ex renibus venit? Sive arenæ sint quas pituita vice glutini comprehendat, & colligat, sive viscidus humor ac lentus per se solum absque arenarum admixtione in lapidem corporari idoneus? Ubi semel adfixus ille ex viscida pituita adhęsit membranę vesicæ, & lapidescere cœpit, fundamento hoc posito, dum similis humor subinde illabitur, corticatim squamatimq; aggeritur & adcrescit, sicque calculum adauget. Pari prorsus modo & margaritæ partim in corpore ostreæ in callũ formantur, ac crescunt, ideoque multiplici constant cute, quia squamatim auctæ sunt, partim etiam in ipsis conchæ labris adhærescentes eadem ratione crescunt, ut lapilli vesicæ tunicæ adfixi. Pro qualitate autem humoris à renibus accepti, & vi caloris qui in vesica est, lapis colorem sumit, duritiem, magnitudinem, ac formam. Vesicæ lapides duriores ut plurimum sunt, renum vero magis friabiles magisque arenosi. Sæpe etiam contingit, ut calculus è renibus in vesicam demissus ibi incrementum capiat, accedente identidem humore idoneo ac sese adplicante iam concreto corpori, sive callo. Cum tot sint modi ac formæ calculorum in vesica

ſica creatorum, materia ſane omnis qualiſcunque illa ſit, à renibus veſicæ ſuppeditatur. Non igitur duplex matrix calculi, ut volunt, ſive focus, lapidis in veſica concreſcentis. Multo minus differentia duplicis illius matricis oritur, ut tu putaſti, ex eo quod pueri frequentius renum, adulti veſicæ calculo miſeri ſint. Perſequamur tua verba & examinemus. Explicas diſcrimen illud geminæ matricis calculi ex locorum in quibus ille gignitur differentia. Atqui, ut dicebã, unius loci, id eſt, veſicæ, duplex focus ab aliis, ſive matrix, conſtituitur. Verba illa tua ſunt quaſi de renum calculi ac veſicæ matrice differenti, cum tamen docere videaris velle rationem modumque quo lapis in veſica differenter naſcitur. *In rene quidem*, inquis, *cum ante cœptam duci urinam, quod eſt Hippocrati* πρὸ οὐρήσεως, *coagmentatum illic ſabulum in veſicam illabitur, ibique corticatim augetur.* Hæc una ex duabus matricibus, à Dureto ponitur, qua in veſica calculus, accepto à renibus rudimento, concreſcit. Nihil hoc ad eos qui renum calculo laborant, ſed illos tantum ſpectat, quos vitium tenet in veſica, cum dicis ſabulum in rene coagmentatum in veſicam illabi, ibique corticatim augeri.

geri. Sane video quid velis. In rene constitui alteram ex duabus matricem vesicalis lapidis. Quod fit, cum ex renibus sabulum in vesicam illapsum in vesica hærens ac remanens, nec exitum reperiens, in lapidem grandescit. Atqui ex renibus eo modo accipitur ille humor lentus, tenax, viscidus, ac lapidescere idoneus, ex quo calculus in vesica coagmentatur. Galenus Commentario III. ad VI. ἐπιδημιῶν scribit, τὸ πάχος τῶν οὔρων τὴν πρώτην τε καὶ μεγίστην αἰτίαν ἔχειν τῆς τῶν λίθων γενέσεως, *crassitudinem urinarum principalem & maximā causam esse lapidū generationis*, in vesica scilicet. Nam de calculo vesicæ ibi loquitur. At unde illa οὖρα crassa nisi à renibus? Mirum certe arenas è renibus in vesicam decidentes constitui matricem quasi extraneam τῆς λιθιάσεως vesicæ, & urinas crassas ex pituita viscida quasi internam haberi causā, qua per se in vesica lapis generatur, cum haud minus ex renibus talis humor effluat, atque arena. Deinde iam ante notavimus, illud περὶ οὐρήσεως quod tempus cū Dureto & Heurnio statuis sabulo in renibus coagmentando quasi ex Hippocratis auctoritate, nusquam apud Hippocratem extare scriptum, sed in commentario Galeni tantum legi. Quid ergo est quod vis sabu-

ſabulum coagmentari in renibus περὶ οὐρή-
σεως, quod pro genitali rudimento ſit cal-
culi in veſica cõcretionis? Nihil tale dixit
ibi Galenus, ſed illis verbis diſtinguit tantũ
renum λιθίασιν à veſicæ λιθιάσει. Hippocra-
tes eo loco quem enarrat ille doctus in-
terpres, dixerat pueris τὸ ζωάγμα γίνεσθαι
μᾶλλον μετ᾽ οὔρησιν. Hoc Galenus inter-
pretatur de calculo qui in veſica concre-
ſcit, quod malum frequentius accidit
pueris quam adultis. Ergo ex oppoſito
calculi qui in renibus denſatur, ἡ πῆξις fit
περὶ τῆς οὐρήσεως. Verba hæc eius ſunt: γίνεται γὰρ
ἡ σύστασις τῶν ἐν κύστει λίθων μετὰ τὴν οὔρησιν, τῶν γὰρ
ἐν τοῖς νεφροῖς περὶ τῆς οὐρήσεως. *Calculorum in
veſica concretio ſit poſt* οὔρησιν, *in renibus vero
ante* οὔρησιν. Nihil minus his verbis voluit
Galenus, quam duplicem conſtituere ma-
tricem lapidis in veſica gignendi. Nec
ea quoque mens Hippocratis quam ibi
interpretatur. Veſicæ calculum ut ſi-
gnanter notaret Hippocrates, τὸ συώαγμα
μετ᾽ οὔρησιν, *concretionem poſt mictionem,*
appellavit. Ergo concludit inde Gale-
nus, non enim dicit Hippocrates, renum
calculum dici debere, περὶ οὐρήσεως συώα-
γμα, *concretionem poſt mictionem.* Quo ſenſu
utrumque? Iam id ſupra expoſuimus. Cer-
te de gemina matrice ad gignendum in

vesica calculum nihil cogitarunt, nec auctor nec interpres. Pergis de altera matrice, hoc est de altero somnio: *In ipsa autem vesica principium habet generationis, perfecto urinæ ductu, quod est μετ' ὄρησιν apud Hippocratem, cum ipsa per se fit coagmentatio lapidosa, quam vocat τὸ σύναγμα.* Hanc quam vos putatis esse alteram matricem gignundo in vesica calculo, qua per se, sine renum ope & opibus, coalescat, ipse refellit Hippocrates. Hic enim docens qua ratione in vesica puerorum calculus producatur, & quidem μετ' ὄρησιν, id est, post urinam excretam, arenas è renibus prolapsas, & pituita viscida vice glutinis comprehensas & coactas, in lapidem grumescere scribit. Nos iam id supra explanavimus, ubi docemus μετ' ὄρησιν esse post mictionem, hoc est, urinæ egestionem extra vesicam. Quid vos permovit, ut ὄρησιν hic acciperetis pro urinæ ductu qui perficitur in vesica? Duretum ad illam interpretationem vobis præivisse, ex illis quæ superius attulimus, constat. Is ad Coacas prænotiones lib. III. Tractatu IV. c. III. de Urinis, citans vetus illud Hippocratis τὸ σύναγμα μετ' ὄρησιν, *calculum in renibus*, notat & addit, καὶ περὶ ὀρήσεως, *in renibus, quorum vertute liquor è venis attrahitur*

bitur κατὰ φύσιν, *vel contra eo cietur, aut ſua ſponte iniuſſus, & concitatus, & aliunde immiſſus.* Recte quidem τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν exponit *calculum in veſica.* Sic enim Galenus. Et contra, τὸ περὶ οὐρήσεως, *calculum in renibus.* Sed hoc non eſt Hippocratis, ut videtur ibi exiſtimare magnus medicus, atque, ut ipſe cum Heurnio cenſes, Galeno ſecundus. Aeque Hippocrati iſtud περὶ οὐρήσεως attribuit, ut illud prius, τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα. Sed hoc poſterius, περὶ οὐρήσεως, Galeni eſt, ut iam dixi, non Hippocratis. Quæſtio igitur nunc eſt quid ſit μετ' οὔρησιν in Hippocratis verbis, aut cur calculum veſicæ τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν vocaverit, & de qua οὐρήσει intelligendum ſit. Duretus ad eum locum Coacarum ſcribit, *Omnium urinarum cuiuſmodi tandem fuerint eſſe commune, ut ſuam quæque* οὔρησιν *non ante abſolvant, quam ad veſicam pervenerint.* Pace tanti viri dixerim, non mihi poteſt probari omnis urinæ οὔρησιν in veſica abſolvi. Quod quid ſit, pro mea in re medica inſcitia, non queo percipere. Οὖρον quidem non ante dici quam in veſica ſubſederit, Ariſtoteles in Problematis dixit. Sic οὖρον perfici in veſica ſane dici poſſet, quia nec nomen hoc proprie habet priuſquam ad veſicam

pervenerit. Sed quomodo οὔρησις perficiatur in vesica, haud fateor me videre, cum actio sit προαιρετικὴ animalis qua urina è vesica emittitur. Non est igitur dicendum, urinæ οὔρησιν non ante absolvi quam ad vesicam pervenerit. Immo non ante οὔρησις fit quam urina è vesica excernitur. Ubi excreta est, tum οὔρημα est, atque etiam οὖρον, ut sæpe apud Hippocratem. At οὖρον nomen tum tantum habet, *cum è renibus in vesicam serum è venis, renum attractu ac quasi mulctra quadam tramissum, descendit*, ut idem Duretus scribit in easdem Coacas lib. 11. tractatu 11. cap. 11. de vulneribus. Si ergo, ut ibi diserte docet, non ante dicitur οὖρον, vel urina, quam in vesica humor ille desederit, quia ibi perficitur, certe οὔρησις debet tantum dici de ea mictione quæ οὖρον, tum proprie appellatum ubi in vesica subsedit, extra vesicam emittit atque eiicit. Nam si οὔρησις ille ductus urinæ appellaretur, qui è renibus fit in vesicam, necessario dicendum foret, οὔρου etiã nomine appellari tum quoq;, cum in renibus est. Quid enim οὔρησις, nisi οὔρου ἔκκρισις, urinæ excretio? Quid οὐρεῖν, nisi οὖρον ἀποκρίνειν; Ergo non potest οὔρησις dici descensus humoris è renibus in vesicam, quia humor ille dum per renes transit,

priuf-

priusquã in vesicã defluxerit, non vocatur οὖρον. Nonne ἱδρὼς, dicitur similiter humor ex toto corpore eliquatus, & in carnem quæ sub cute est protrusus aut elicitus? At dũ extra cutem manat, hoc ἱδρῶσαι vocatur. Ab illo, ut dixi, Dureto sumpsisti in vesica calculum fieri perfecto urinæ ductu, & illum urinæ ductum à renibus in vesicam manantis esse οὔρησιν, cum sit διήθησις. Percolatur enim adhuc urina non meiitur, dum manat in vesicam è renibus. Galenus διηθεῖσθαι vocat in III. Commentario ad VI. Epid. τὸ πάχος τῆς ὕλης κεχυμένον εἰς τοὺς νεφροὺς ἀφικνεῖται, καὶ διὰ τοῦτο διηθεῖται ῥαδίως εἰς τὴν κύστιν. Non dicit διουρεῖσθαι, sed διηθεῖσθαι. Sane nec οὖρον vocat, sed ὕλην. Nec veri simile est ergo ut descẽsum & defluxum urinæ in vesicam οὔρησιν appellarit. Clarius porro idem Duretus sententiam suam de illis loquutionibus, περὶ οὐρήσεως, & μετ' οὔρησιν, expressit in easdem Coacas lib. II. cap. XXII. de Morbis vesicæ, his verbis: οἱ λιθιῶντες, *id est, quibus coagmentatio lapidosa, vel si mavis, lapis tophaceus in vesica, undecunque is habuerit* τὸ *προϋπάρχον, id est, fundamentum & initium concrescendi* περὶ οὐρήσεως, ἢ μετ' οὔρησιν, *antequam urina sit, vel cum esse cœperit. Nondum enim urina est in renibus, est autem in vesica.*

Ac si diceret, sive coagmentatio sit in renibus vel in vesica, nihil interest, modo calculi ea sint incommoda, & in vesica & ex vesica, quæ supra posuimus. Non enim nephritica sunt quæ hic leguntur. De solo lapide vesicæ loquitur, ut vides, hic commentator, ut & ipse auctor eo loco quem enarrat. Duo ergo genera lapidis constituit in vesica, alterum quod προϋπάρχον habet in renibus, & hunc πρὸ οὐρήσεως dici notavit, alterum cuius coagmentatio lapidosa per se fit in vesica non tracto ullo à renibus rudimento. Πρὸ οὐρήσεως interpretatur, cum nondum est urina in renibus, μετ' οὔρησιν cum iam est in vesica. Quæ interpretationes mihi videntur, ut iam dixi, non solum falsæ, sed etiam absurdæ, ob eas quas commemoravi causas. Præterea lapis ille vesicæ quem vos προϋπάρχον in renibus habere dicitis, & πρὸ οὐρήσεως in vesica formari, dum scilicet *coagmentatum in renibus sabulum in vesicam illabitur, ibique corticatim augetur*, agnoscis puto verba tua, quæ & Dureti sunt, non potest idem esse cum calculo renum, qui νεφριτικὸν facit, de quo dicit Galenus fieri eum πρὸ οὐρήσεως. Quid enim his eius verbis manifestius dari dicive potest? Ea sunt ex Commentario tertio ad VI. Epid. διὰ τὸ ἓν προσέθηκε

μετ'

μετ' οὔρησιν, καὶ οὐχ ἁπλῶς εἶπε τὸ σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον; ὅτι περὶ τῶν ἐν τῇ κύστει λίθων τὸν λόγον ποιεῖται νῦν, οὐ τῶν ἐν τοῖς νεφροῖς. Γίνεται γὰρ ἡ σύστασις, τῶν μὲν ἐν κύστει λίθων μετὰ τὴν οὔρησιν, τῶν δὲ ἐν τοῖς νεφροῖς πρὸ τῆς οὐρήσεως. *Cur igitur*, inquit, *Hippocrates addidit*, μετ' οὔρησιν, *post mictionem, nec simpliciter dixit concretionem lapidis pueris magis accidere? Quia de calculis vesicæ verba facit nunc, non de calculis renum. Atqui coagmentatio calculorum in vesica fit* μετ' οὔρησιν *post emictionem, renum autem* πρὸ οὐρήσεως, *antequam emicta sit urina.* Quæso te, dic mihi, an putas hic Galenum per τοὺς ἐν τοῖς νεφροῖς λίθους intellexisse lapides vesicæ, qui τὸ προϋπάρχον habent in renibus, quod in renibus primo concreti, deinde in vesicam illapsi, & ibi negato exitu corticatim incremento accepto, λιθίασιν demum vesicæ pariunt? Si tales lapides qui tale rudimentũ ac fundamentũ sui trahunt ex renibus, & in vesica grandescunt, πρὸ οὐρήσεως appellari debent, ut tu post Duretũ & Heurniũ adstruis, certè frustra Hippocrates eo loco, ut pueros doceret vesicæ calculo magis laborare, eum calculũ τὸ σύνασμα μετ' οὔρησιν vocaverit, cũ πρὸ οὐρήσεως etiam vocari debeat. Immo cum certum sit, si duæ sunt species lapidis in vesica enati, ut à vobis statuuntur, altera μετ' οὔρη-

σιν dicta, altera περὶ ὀρήσεως, cum certũ, inquã, sit utraq; laborare pueros, non video cur Hippocrati fuerit scribendũ, τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν παιδίοισι μᾶλλον. Nonne addere debuit, & περὶ οὐρήσεως? At voluit ille, si interpreti eius Galeno credimus, hoc tantũ docere, pueris familiare magis esse vesicæ calculo laborare, quã renũ. Λιθιῶντας magis fieri quam νεφριτικούς. Explica hoc ergo mihi, an lapis renum dici debeat ille, quẽ in vesica dicitis corticatim augeri accepto principio originis ex renibus? Immo vesicæ est. Et ille ipse Duretus quem sequeris, inter calculos recenset quibus vesica affligitur. Si renũ esset hic calculus, non esset puerorũ, sed senũ ex scito ac sententia Hippocratis. Sed nec περὶ οὐρήσεως esset appellandus, cũ solo calculo μετ' οὔρησιν concreto pueros ægrotare eo loco Hippocrates dicat. Si vesicæ est ille lapis, cuius tamen fundamentũ ac initium in renibus factum est, haud minus tamẽ μετ' ὄρησιν appellabitur, quia generatim τὸ μετ' ὄρησιν σύναγμα vocavit Hippocrates omnem vesicę lapidem quo pueri magis solent affici & affligi, quã παρακμάζοντες. Ut omne dubiũ cito tollam, ac testimonio Galeni vestram cum sententiam, tum interpretationẽ, uno difflatu percellam, teste illo evincã lapidem quem initio

tio concretionis tradito ex renibus in vesica corticatim augeri ſcribitis, & περὶ οὐρήσεως appellandum ſciſcitis, eum μετ' οὔρησιν eſſe appellandũ. Is in Commentatione ad illa Hippocratis verba, τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν παιδίοισι μᾶλλον, pro exemplo adfert illius συνάγματος μετ' οὔρησιν, illud ipſum calculi genus, quod vos περὶ οὐρήσεως appellitandum duxiſtis. Accipe verba: τὸ γάρ τοι πάχος τοῦτο συνιστάμενόν τε, καὶ ἀθροιζόμενον ὅταν ἅπαξ ποτὲ μὴ κατὰ τὸν προσήκοντα καιρὸν ἐκκριθὲν ἔνδον ἐπὶ πλέον μείνῃ, συστάσεως τε καὶ πήξεως ἀρχὴν λαμβάνει. Γενομένης δὲ τοιαύτης ἀρχῆς ἑτοίμως λοιπὸν ὅσον ἅπαν αὖθις εἰς τὴν κύστιν ἀφικνεῖται παχὺ, προς-πλάττεται τούτῳ, καὶ γίνεται μείζων ὁ πωρώδης λίθος. *Hoc enim craſſamentum collectum & adgregatum, quando ſemel non ſuo tempore egeſtum diutius intus remanſerit, concretionis initium ac coagulationis accipit. Poſt tale principium deinceps illud omne craſſum quod in veſicam deſcenderit, facile illi adplicatur, & fit exinde grandior lapis tophaceus.* Nonne hic calculus eſt, quem μετ' οὔρησιν σύναγμα vocavit Galenus? Non alterius meminit. Hunc in veſica corticatim augeri poſt Duretum affirmas. Sic enim ſcribit & Duretus, Galenum auctorem citans eo loco, quem iam produximus & explicavimus. *Vbi*, inquit,

quit, *Galenus auctor est, crassamentum urinæ quod est in pueris, cum in vesicam illapsum cunctatur, atque subsistit, nec exitum cito habet, initium ibi capere concrescendi & coagmentandi, ac tum iacto eo concretionis fundamento, sive initio, quidquid deinceps affluit similiter crassum ut prius, facile adplasmari, unde corticatim auctus, maior assurgit πωρώδης λίθος.* Haud poterat melius Galenum interpretari. Sed Galenus hunc lapidem μετ' οὔρησιν fieri dixit, & ab Hippocrate, τὸ σύναγμα μετ' οὔρησιν vocari notavit. Cur igitur Duretus in illa ipsa adnotatione paulo ante, hunc calculum qui corticatim in vesica augetur, in exemplum adduxit alterius generis, quod πρὸ οὐρήσεως vocandum est, quia accepto à renibus initio ac primigenia causa suæ concretionis, postea in vesica grandior evadit, ex incremento per cortices corticibus superstructos facto? Ita enim scripsit iis verbis, quæ & in librum tuum de Calculo transtulisti, cap. VIII. *In rene quidem*, matricem nimirum habet coagmentatio lapidosa, *cum ante cœptam duci urinam, quod est Hippocrati πρὸ οὐρήσεως, coagmentatum illic sabulum in vesicam illabitur, nec inde cito exclusum corticatim crescit, & in eam calculi molem excrescit, ut intolerabile sit pondus vesicæ.* Iam ostendimus nus-

nuſquam ea verba apud Hippocratem reperiri περὶ οὐρήσεως, ſed Galeni eſſe enarrantis illum locum Hippocratis ex VI. Epid. τὸ σιώαγμα μετ᾽ οὔρησιν παιδίοισι μᾶλλον. Nec in ea enarratione meminit Galenus ſabuli è renibus in veſicam illapſi, quod initium ac primam cauſam præbere ſoleat concretioni lapidis qui fit in veſica. Multo minus ibi docet talem veſicæ calculum Hippocrati vocari περὶ οὐρήσεως. Immo contrarium ex eius commentatione facile elicitur. Cum calculus eiuſmodi qui accipit initium concreſcendi à renibus, ab illapſo in veſicam inde ſabulo, ibique increſcens, non minus inter calculos veſicæ numeretur quã ille, qui ex craſſa urina per ſe coagmentatur in veſica, non diſtinxit eum Galenus ab illo quod σιώαγμα μετ᾽ οὔρησιν Hippocrati vocatur. Deinde certum eſt pueros æque laborare iſto veſicæ calculo, qui creſcit corticatim ex ſabulo renum in veſica concreto. Nam & Hippocrates in IV. de Morbis, ubi memorat quomodo lapis, ἡ λιθὶς, in veſica puerorum naſcatur, meminit & τοῦ ἐπιόντος ψαμμώδους, quod è renibus in veſicam puerorum deſcendit, ibique comprehenſum, quaſi glutino, craſſamento glutinoſo, calculum

lum grandem componere. Ergo & talem lapidem Hippocrates comprehendit hac ista appellatione τοῦ συνάγματος μετ' οὔρησιν. Et sane cum ad eum locum Galenus hoc proprium esse vesicæ calculi doceat, quod μετ' οὔρησιν, id est, excretionem urinæ, concrescat, non distinxit ut vos distinguitis inter illum qui ex sabulo à renibus illapso concrevit, & illum qui in vesica per se coagmentatus est ex crassamento urinæ puerilis. Hoc tantum ibi dicit, renum calculos πρὸ οὐρήσεως fieri, vesicæ μετ' οὔρησιν, At per renum calculos eos intelligit, ex quibus oritur νεφρῖτις. Ibi enim etiã quęrit cur calculis vesicæ magis obnoxii sint pueri, simulque reprehendit eos, qui putabant id eo fieri, quod pueris magis essent στενοπορώτερα τὰ ἀγγεῖα, meatus nempe vesicæ quibus excernitur urina. Si hæc ratio, inquit, valeret, tum calculis renum magis divexarentur. στεναὶ γὰρ, inquit, αἱ κατ' ἐκείνους διέξοδοι, τῆς κύστεως δὲ ὁ τράχηλος εὐρὺς ἐστὶν ἐς τοσοῦτον τοῖς παιδίοις, ὡς πάσης ὕλης πάχος ἑτοίμως αὐτοῦ διεξέρχεσθαι. *Nam & angusti per renes transitus ac meatus, cum vesicæ cervix in pueris in tantum lata sit ut facile omnis materiæ crassamentum per eam meare possit.* Ergo calculus qui πρὸ οὐρήσεως gignitur, is renũ est calculus, qui in senioribus magis

quam

quam in pueris ſolet enaſci, cum iſti veſicæ calculo frequentius laborent. Et de eo calculo renum intelligendum eſt, qui in ipſis renibus ita concreſcit, & grandeſcit, ut tranſire vix valens, dolorem ac cruciatum in renibus, atque etiam urinæ difficultatē, aliaque nephriticis accidentia συμπτώματα, pariat. De quo calculo renum Hippocrates in Coacis dixit l. III. tractatu IV. cap. III, de urinis. Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα μετ' οὔρου ἐπισχέσιος, λιθιδίων οὔρησιν ἢ παχέων οὔρων σημαίνει. Ad quem locum recte idem Duretus notavit, *renum quidem συνάγμα, id eſt, coagmentationem dici περὶ τὴν οὐρήσεως: veſicæ autem μετὰ τὴν οὔρησιν.* Non igitur pueri illi calculo renum obnoxii, qui περὶ οὐρήσεως dicitur. At frequētiſſime torquentur illo veſicæ, qui περιϋπάρχον habet in renibus, tranſmiſſo ſine dolore in veſicam ſabulo, ibique corticatim augeſcente. Cur minus laborent calculo renum pueri, quā ſenes, hanc adfert cauſam ibi Galenus non anguſtiam viarum & meatuum in renibus ætate provectiorum, ſed debilitatem τῶν φυσικῶν ἐνεργειῶν, & humorum craſſiorum cruditatem, qui calore naturali iam in his deminuto, haud tam bene perfici poſſunt ut in pueris, quibus illæ ἐνέργειαι valentiores adſunt humoribus diſſipandis ac digerendis

rendis

rendis aptæ. Sed hæc non huius loci, & vestra est medicorum tractatio ac disquisitio. Non video autem quod iam ante docebam, cur enatus ex crassamento urinæ diutius in vesica puerorum subsistente, calculus σύναγμα μετ' οὔρησιν dici debeat, ille autem cui initium præbuit sabulum ex renibus profusum, & in vesica per incrementa corticatim facta crescens, σύναγμα πρὸ οὐρήσεως appellari mereatur. Nec illud etiam scio, quæ differentia sit constituenda matricis in utroque, quasi alterius ex rene sit profecta, alterius in vesica ipsa origo ac prima causa posita sit. Πάχος οὔρων causam esse lapidis qui in vesica puerorum nascitur auctor est Galenus. Unde illud πάχος οὔρων, nisi ex renibus? Τὸ τοίνυν, inquit, πάχος τῶν οὔρων τὴν πρώτην αἰτίαν τε καὶ μεγίστην αἰτίαν ἔχει τῆς τῶν λίθων φύσεως. *Crassamentum urinarum primam & maximam habet causam lapidum generationis.* Si qualitas humoris principium & origo, vel principalis causa est calculi qui in vesica puerorum nascitur, certe cum humor ille talis è renibus veniat, τὸ προὔπαρχον & matrix huius calculi generationis in renibus etiam constitui debere videtur. Etsi enim vesicæ calor plurimū ad eum compingendum & cogendum conducat, præcipua tamen

tamē ac prima eius cauſa ad cōcreſcendū eſt humoris qualitas, qui talis è renibus deſcendit. Galenus: διότι εἰ καὶ τοσαύτη θερμότης ἣν ἔχει παιδία φύσει συνεργεῖ τι πρὸς πῆξιν, οὐ μὴν αὐτῆς γε τὸ πλεῖστον, ἀλλ' ἡ τῆς ὕλης γε ποιότης ἐξ ἧς ὁ λίθος γίνεται, τῆς συστάσεως αὐτῆς τὴν αἰτίαν ἔχει. Quærit ibi cur Hippocrates in aſſignanda cauſa quæ facit, ut pueri veſicæ calculo citius laborant, quaſi dubitans dixit, ἆρα ὅτι θερμότερα; an quod calidiores ſunt? *Ideo*, inquit, *non affirmative hoc aſſerit auctor, quia etſi aliquid conferat ad concretionem lapidis puerorum calor nativus, haud tamen plurimum ille facit, ſed materiæ qualitas ex qua lapis fit, cauſam habet huius coagulationis.* At ποιότης ὕλης, ex qua gignitur in veſica calculus, interdum craſſa ac lenta per ſe ſola eſt pituitoſa urina, interdum & aliquid arenoſi admixtum habet. Certe utrunque ex renibus defluit, & veſicæ influit. De utroque igitur calculo certum eſt intellexiſſe Hippocratem & Galenum, cum veſicæ calculum μετ' οὔρησιν ille vocavit, hic proprie ſic vocatū explicavit, quia fit poſt emictionem urinæ. Cur ita concreſcat poſt emictam iam urinam potius quam ante, cauſam ex ipſo Hippocrate dedimus. At vellem mihi ipſe explicaſſes & rationē ſimul addidiſſes, cur perfecto

demum urinæ ductu, calculus in urina ſolideſcat. Adiungeres etiam, ſi mihi gratificari velles, cur in rene calculus gignatur, ante cœptam duci urinam. Si perficitur urina in veſica, quia ubi eo pervenit, inde nomen nanciſcitur, non tamen οὔρησις abſolvitur, niſi quando eiecta eſt à veſica urina. Quæ fit dum ejicitur. Non enim alio ſenſu οὔρησιν & οὐρεῖν Græci ſolent uſurpare. Ergo vobis urinæ ductus, id eſt, οὔρησις eſt, qua à renibus in veſicam urina derivatur. Quæro quæ differentia inde ſtatui poſſit in lapide qua renũ qua veſicæ generãdo, ut in hoc μετ' οὔρησιν gigni poſſitis eum dicere, in illo πρὸ οὐρήσεως? Cum ſine interruptione, intervallo, ac mora perpes ille ac iugis fluor manet è renibus in veſicam, qui urinam demum in veſica perficit & nominat, ecquod tempus cogitari ac mente percipi poteſt, quod ante οὔρησιν dicatur, & πρὸ οὐρήσεως? Profecto niſi prorſus animi cæcus ſum, ut in iſtis me parum fateor videre, tã qui in renibus naſcitur calculus, quã qui in veſica, quocumq; tẽpore formari incipiat, id tẽpus eius cõcretionis æque poteſt deſignari, his omnibus appellationibus, πρὸ οὐρήσεως, ἐν οὐρήσει, & μετ' οὔρησιν. Certũ quidẽ eſt poſt largiorem potum, uberiorem etiam fluxum vel uri-

næ du-

næ ductum è renibus in vesicam fieri, quam post modicum aut nullum, sed servato tamen eodem manandi modo sine intermissione, quia spõte naturæ fit, & ἀπροαιρέτῳ ῥύσει, quæ continẽter ire solet. Sic ex lixivo cinere linteorũ mundandorum synthesi imposito, post iniectã novam desuper aquã, magis ubertim liquor defluit, quam per intervalla ἐμβολῆς aquę. Continenti tamẽ & iugi ductu manat, modo lentiore, modo concitatiore, pro ratione aquæ quæ recẽs infusa est, aut pro spatio quod lõgius distat ab recens infusa. Ductus urinæ præterea à renibus in vesicam, ut naturalis est, & animali fit nesciente ac non sentiente, ita ῥύσις potius est quam χύσις. At excretio è vesica, quæ proprie οὔρησις dicitur, non est ῥύσις, sed χύσις, non fluxio, sed fusio. Unde & χῦμα appellatur medicis Græcis recentioribus urina iam effusa, quod antiquioribus οὔρημα. Sic Galenus appellat & reliqui, cuius χύσις est volũtaria, & modo retinetur, modo emittitur pro arbitrio fundẽtis. At χύσις æquabilis est & perpetua, ut in perenni fonte, qui etsi per ęstates & sicca tẽpora tenuiore manet vena, per pluvias & hyemem pleniore currat agmine, semper tamen fluit. Si daretur igitur aliquod intervallũ quo ductus ille

urinæ è renibus, quam οὔρησιν vocatis, subsisteret, & mox iterum inciperet, tum sane vobis assentirer, locum habere hanc temporis distinctionem in lapide renum & vesicæ coagmentando, πρὸ οὐρήσεως & μετ' οὔρησιν, *ante & post mictionem*. Sed cur nulla datur calculi σύστασις dum fit urinæ ductus, inter ipsam, inquam, mictionem, ἐν τῇ οὐρήσει, velim etiam hoc à te mihi explicari. Post emissam urinam πῆξιν lapidis fieri in vesica nos ante ex ipso Hippocrate exposuimus. Id est, μετ' οὔρησιν. At qui in renibus concrescit calculus non in eo necessarium est ut prius è vesica emittatur urina quo perficiatur eius concretio, ideo & πρὸ οὐρήσεως, id est, ante redditam urinam potest concrescere. Et sic plane intelligendus Galenus. Cum vestro illo urinæ ductu qui in vesica perficitur atq; absolvitur, nemo est qui rectam Hippocratis illius sciti ac veram interpretationem comminisci aut expedire queat, τὸ σωὐαγμα μετ' οὔρησιν, de vesicæ calculo. Ad tua iterum redeamus, ut ostendamus nihil huiusmodi consequi ex tua argumentatione quale voluisti. In cap. VI. libri de Calculo scribis, *Observasse te multos ex vesicæ calculo laborare, qui antea nullis unquam laboribus fuissent divexati*. Facile de

isto

isto tibi credimus tantæ doctrinæ & experientiæ medico. Subiungis deinde, *Et si nephritis auctore Hippocrate ante pubertatem non oritur, ergo pueri, quorum calculos idem* VI. *Epid.* III. *coagmentari docet* μετ᾽ οὔρησιν, *perfecto urinæ ductu, qui fit in vesica,* προϋπάρχον *sive rudimentum non traxere è renibus, namque alias nephritin passi fuissent ante pubertatem.* Quod negas pueros trahere rudimentum calculi è renibus, id tuus Hippocrates affirmat, lib. IV. de Morbis, ubi exponit quomodo calculus generetur in vesica puerorum. Nam τὸ ἐπιὸν ψαμμῶδες quod ἐν κύστει eorum à pituita vice glutini coalescere & cogi dicit, omnino à renibus. Atqui, inquis, si à renibus illud rudimentum traherent, nephriti laborarent, cum tamen neget Hippocrates pueros nephriti laborare ante pubertatem. Quasi vero omnes necesse sit nephriti laborare, quibus arenæ è renibus in vesicam decidunt. Tibi ipse contradicis. Nonne alibi dixisti, & in hac ipsa, cui respondeo, Epistola scripsisti, multos magnam vim arenarum cum urinis fundere, qui nunquam calculo renum neque vesicæ laborarunt? Ergo fundere ex renibus arenas solitos in vesicā plurimos citra nephritidis dolorem, nisi tecum pugnare ipse velis, non possis

negare. Cur quod cuivis ac multis accidere posse confiteris, pueris quoque idem non continget, ut sine morbo nephritidis arenas in vesicam dejiciant? At ex illis arenis in vesicam sine dolore renũ aut vitio calculi in illis innati, effusis, posse calculum in vesica pueris gigni, nemo negaverit, multo minus tibi similis, tam doctus in arte ac peritus. Hoc ipsum plane Hippocrates docet. Si verum autem esset quod affirmas, nemo calculo vesicæ laboraret, cuius rudimentum è renibus acceptum esset, quin etiam nephritis morbo tentaretur. Multos esse qui calculo vesicæ discrucientur, eoque ex arenis vel sabulo renum in vesicam illapso, & ibi coagmentato, qui tamen nunquam nephritin passi sunt, cur tu ignorares, cum ego qui non sum medicus id sciam? Nisi hoc esset, indiscretus sane foret calculus vesicæ ac renis, & uterque morbus adeo individuus, ut altero correptus alterum quoque sentire necessario deberet. Quod non fieri solere nemo melius tenet quam tu. Ergo & λιθίασιν vesicæ sæpe patitur ex calculo, cui renũ malitia dedit initium concretionis, qui nunquam tamen passus est nephritin. Idque in pueris magis esse tralaticium quam viris Hippocrates testatur. Cum nephriti-

phritide non tentari ſoleant ante pubertatem, λιθιάσι tamen ſive veſicæ calculo ſæpiſſime cruciantur. Aut igitur tibi negandum eſt calculũ quo pueri torquentur matricẽ, & τὸ προϋπάρχον ex renibus haurire, aut fatendum veſicæ λιθίασιν abſque nephriti poſſe contingere, cui tamen λιθιάσι principium ac rudimentũ delapſa ex renibus materia propinarit. Nec de arenis tantum hoc accipi velim, ſed etiam de humore craſſiore & viſcido, & calculum ubi in veſicam deſcenderit, creare apto. Et hæc mea ſententia eſt, nullum omnino in veſica lapidem formari, quin rudimentũ vel principium, quod vocatis προϋπάρχον, ac materia ei creando è renibus tranſmiſſa ac data ſit. Multum autem refert qualis illa materia ſit. Si craſſior humor eſt ex pituita viſcoſa, ex quo lapis in veſica concreſcat ſolidus ac durus, ut ſæpe uſu venit, tum certe talis lapidis indicium per arenas cum urina egeſtas dari prorſus non quit. Si vero arenoſus ſit, ac mollis, ut ex partibus parum adſtrictis compoſitus, certe qui talis eſt, ſignum edet ſui per ſabuloſa, aut minuta lapidum fragmenta, cum urina egeſta. Utriuſque generis lapides in veſica gigni etiam Arabes agnoſcunt. Aviſenna lib. III. Fen XIX. tract.

I. cap. V. ubi explicat differentiam lapidis renum & veſicæ, iſtũ duriorem eſſe, illum fragiliorem & molliorem ſcribit. Quamvis & veſica ſępe molles & fragiles gignat. Idem dixit & Fen XVIII. tract. II. cap. XVI. *Licet & quandoque in veſica lapis generetur, qui minutatim frangitur.* Talis eſt arenoſus, & qui ſquamatim compactus eſt, ſed mollis, ὁ πωρώδης λίθος. Et hoc idem omnino voluit Hippocrates, cum inter ſigna calculoſæ in pueris veſicæ recenſet etiam διούρησιν ψαμμωδέων. Quod non perpetuum eſſe fatetur, ſed ita demum accidere docet, cum ad formandum calculum arenæ accedunt. Ideo dicit, ἐστὶν ὅτε διουρέεται τὰ ψαμμώδεα. Hoc iam ſupra expoſuimus. Dixeris, ſed quomodo arenoſa illa ſedimẽta certa edẽt ſigna de veſicæ calculo arenoſo ac molli, cum de renum calculis ſimiliter arenoſis ac mollibus, tali indicio ſignificãdis, accipi queant? Reſpondeo ex ætate primum colligi poſſe, utrum illæ arenæ videantur calculum veſicæ indicare, an renum. Si puer ſit, & qui per ætatem nephritis immunis videtur, in calculum veſicæ pronior erit ſuſpicio, quam renum. Contrarium feretur iudicium ſi ſenior ſit, & quem veriſimile ſit nephriti potius ex ætatis ratione quã veſicę calculo

obno-

obnoxium videri. Præterea νεφρῖτις habet ſua,& alia ſigna,quibus facile eſt diiudicare calculum potius eſſe renum quam veſicæ. In nephriti calculoſa ea recenſet Hippocrates, nec ſolam egeriem arenarum inter ſigna eius numerat. Qui ψάμμος ut ibi vocat, vel λίθοι λεπτοὶ, ut ſigna ſint nephritidis calculoſæ, locum tamen habent tantum in arenoſo calculo & molli, non in duro ac ſolido. Sic λιθίασις quoque veſicæ præter arenarum excretionem, aliis etiam dignoſci poteſt argumentis, quæ iuncta cum arenoſa ὑποστάσει, calculum veſicæ eſſe arguant magis, quam renum. Sed hic urgebis illud tuum, multos arenas cum urinis profundere, qui nunquam neque calculo veſicæ neque renum laboraverint At ego reſpondebo, hoc in viris ac ſenibus ſæpius uſu venire, ut aliis ex cauſis arenas ejiciant, quibus calculus non ſubſit neque veſicæ neque renum, cæterum in pueris raro & vix unquam id dari. Cum arenoſas ὑποστάσεις meiunt, pæne indubitatum eſt ſignum calculum in eorum veſica aut gigni, aut iam eſſe generatum, aut mox generandum. Aetas eſt quæ ſuadeat, veſicæ potius eſſe quam renum calculum. Aetas etiam

est qua facile iudicatur arenas illas calculum minari mox formandum, aut testari iam formatum. At arenæ sunt quæ arenosum illum esse significent. Nam de alio quam arenoso alia sunt expetenda signa. Cum igitur Hippocrates in hoc Aphorismo de λιθιάσει vesicæ, quæ per arenarum ὑπόστασιν dignoscitur, absolute loquutus sit, de illa præcipue egisse existimandus est, quam pueris magis familiarē esse passim alibi tradit, quam adultis. De renum calculo ideo nihil adiunxit, quia ad aliam ætatem pertinet, & multis aliis signis παθογνωμονικοῖς indicaretur, præter ψαμμώδη ὑπόστασιν. At vesicæ calculum arenosum de quo solo intellexit, & in pueris, maxime per arenarum egeriem significari solere vix dubium. Non enim ex alia causa solent pueri, aut admodum certe raro, arenas mingendo emittere. Aut iam calculus est, aut mox erit. Talis enim habitudo vesicæ pueris, & vis caloris naturalis, & præterea ea copia pituitæ crassæ viscidæque, quæ pro glutino solet esse concipiendis & cogendis illis in calculum arenis, ut maximus metus esse debeat, cum arenosa egerunt, ne calculus ex his concrescat. Nec ergo suspicio inanis iam concrevisse, immo & signum

vix

vix ambiguum, cum & alia argumenta accedũt, quæ quinque numero esse idẽ Hippocrates tradidit, ubi narrat quomodo cogatur lapis in vesica puerorum, & quomodo dignoscatur. Ad alia autem signa debere attendere medicũ, cum plura sint, certo certius est, si tuta ac certa de morbo volet pronuntiare. Quod autem hodie calculi vesicæ ut plurimum duriores visantur tam in pueris quam in senioribus, si qui iis laborent, & quod renum calculi in nostris hominibus nunc solent magis molles reperiri & arenosi, non propterea dicendum nullos tales in vesica inveniri. Contrarium ex Græcis medicis & Arabibus supra probavimus. Si quando porro tales inveniantur, per arenarum ὑπόστασιν in urina significari eos posse certissimum est, præsertim in pueris. Dicam & aliud quod est verissimum. Quod hodie in his oris Septẽtrionalibus, qualis Europa maxima ex parte est, calculi ex sola pituita cõflati & cõcreti in vesica & renibur reperiantur, id accidere ea de causa, quia in hoc frigido & humido aëre pituita magis abundat, quam in illis locis Gręciæ Asiæq;, ubi medicinã fecit Hippocrates, ac scripsit. Inde loci hominibus pro aëris & solis ratione, minus molesta pitui-
ta quam

ta quã noſtris, ſed bilis & ſanguis magis in illis effervescebat. His adde illius tẽporis victũ, exercitia, & alia omnia diverſa in genere διαιτητικῷ nunc & olim. Falluntur ergo non raro medici noſtrates, dum omnia ſcita Hippocratis examuſſim convenire cenſent medicinæ ac curationi quæ corporibus noſtri cœli convenit, & quam natura noſtrorũ hominũ exigit. Quis exactam tertianam medicus hic in ægris ſuis animadvertit? Omnes ſunt ſpuriæ, non ἀκριβεῖς, quia cum pituita ſunt complicatæ, non ex pura bile conſtant. Nec mirum ergo ſi non quadrẽt διαγνωστικὰ & κριτικὰ ſigna tertianæ Hippocrateæ cum noſtris, quia nullas habemus fere tertianas legitimas. Hoc aliis ſexcentis poſſem argumentis rebuſq; demonſtrare. Sed hic in calculo maneamus. Dico igitur, cum pituita minus infeſtaret homines earum regionum inter quos vixit ſcripſitq; Hippocrates, quibusque medicinam fecit, idcirco minus eos fuiſſe obnoxios calculo, qui ex pituitoſo ac viſcido humore totus in veſica conflatur. Præterea ubi aër frigidior & humidior, ibi etiam ut plurimũ homines ſolent eſſe voraciores, pluſq; etiam vulgo comedere poſſe quam in calidioribus ac ſiccioribus locis, qualis erat Græcia. Quod autem

tem plus appetunt & plus comedunt, rigentium & humentium plagarum gentes, inde etiam colligas, calorem ad concoquendum quod comedunt in iis esse maiorem. Plus ergo excrementi faciunt, quia plus comedunt. Hinc & materiam lapidi gignendo fertiliorem præbent, & ei quidẽ lapidi, ut dixi, qui ex glutinoso humore concrescit. Pituita igitur ab aëre frigido humidoque illis obvenit, calor ipse ἔμφυτος à natura, qui in hominibus locorum frigidiorum maior ut plurimũ, & vẽtriculi pręcipue. Quod ex eo arguitur quia plus appetunt, amplius comedunt, ac melius concoquunt. Hæc ratio etiam efficit ut pueri vesicæ calculo magis sint obnoxii ex calore nativo ampliore, & humore pituitoso uberiore. Hinc scribit Hippocrates in libro de Natura hominis, ideo in pueris lapides frequentius concrescere, propter loci, id est, vesicæ calorem, & totius corporis, cui ob contrariam causam minus obnoxii viri. Γίγνονται δὲ καὶ λίθοι τοῖσι παιδίοισι διὰ τὴν θερμότητα τοῦ χωρίου τε τούτου καὶ τοῦ ὅλου σώματος, τοῖς δὲ ἀνδράσι οὐ γίνονται λίθοι διὰ τὴν ψυχρότητα τοῦ σώματος. Ut λιθίασιν veteres de calculo vesicæ magis dixerunt, & νεφρῖτιν de renum, ita hic λίθους Hippocrates proprie intelligit de cal-

culis

culis vesicæ. Idque satis ostendit quod in pueris frequentius gigni dicit, διὰ τὴν θερμότητα τοῦ χωρίου, id est, vesicæ. Quæ differentia inter nos, & in his regionibus, puerorum ac virorum, eadem ferme est virorum nostrorum & eorum qui in illis vivebāt, ubi fuit Hippocrates. Ut pueri humidiores & calidiores viris, ita Septentrionales homines amplius habent caloris & humoris, præcipue pituitosi, quam meridionales. Eadem porro proportio inter pueros diversorum climatum quæ inter viros. Sic pueri nostri Græcorum pueris magis pituita abundantes, & plus nativi habent caloris tam in vesica quam in toto corpore. Ita ergo nostri calculo duro vesicæ, & ex sola viscida pituitosaque malitia concreto magis obnoxii, quam Græci vel Asiani, in quibus arenosus & mollis frequentius concrescebat. Qui citius concoquunt, eos vesicæ calculum frequentius habere Galenus dixit. Tales pueri. Inde humor ex bene concoctis viscidior, lentior, & creando lapidi proinde magis idoneus, præcipue vesicæ, qui & durior ut plurimum solet gigni. In pueris talis consuevit generari ob eam causam, quod calore naturali ad concoquendos ac digerendos humores valentiore ac

vividio-

vividiore prædıti ſunt. Galenus: καὶ μὴν καὶ γλίσχρον εἰκὸς αὐτὸ μᾶλλον εἶναι τοῖς παιδίοις τῷ κατεργάζεσθαι μᾶλλον ὑπὸ τῆς ἐμφύτου θερμασίας. Viſcida autem ac lenta facilius coeunt;adunantur, & coagulãtur. Aliis ex cruditate magis gigni placet. At pueris ſimiliores hac in parte viri ſeptentrionales, ſi cõferantur cum calidiorũ incolis regionum. Idcirco & in quibus magis pituita abundat, & in quibus calor nativus maior eſt, ii duriores & grãdiores lapides tam renũ quã veſicæ citius procreant. Tales ſeptẽtrionales, hac in re puerorum naturæ magis ſimiles, quam qui in calidioribus regionibus habitant. Hinc etiam pueris lapides veſicæ magis frequentes eſſe in ſeptentrionalibus ſcribit Aviſenna, & præcipue in pueris lib. III. Fen XIX. tract. I. cap. V. de lapide veſicæ,

و اعلم ان حصاة المثانه في البلاد الشماليه و خصوصا في الصبيان.

Sed deeſt, كثر, hoc modo, كثر في البلاد. *Et ſcito quod lapis veſicæ magis frequens eſt in regionibus ſeptẽtrionalibus, ac maxime pueris.* Ibi interpretes: *Quod lapis veſicæ multiplicatur.* Legerũt ergo in Arabico, كثر, qui vulgo editioni Romanæ deeſt. Sed hæc alibi. Qui minimi præterea ſunt cibi homines, illi etiam ad durum & ſolidum

iſtum

istum calculum, cui pituita causam dat materialem, gignendum minus proclives quã phagones. At tales, ut dixi, præcipue Europæi, ac septẽtrionales omnes populi. Cibi preterea ipsi in calidis & siccis regionibus nati, minus generandę pituitę suffragantur quam qui proveniũt in humidis & frigidis locis. Si hæc omnia cõsiderentur, minus mirũ videbitur, quod Hippocrates pro Definitione posuit, quibus arenosa in urina subsidunt, iis vesicam λιθιάσει affici. Quod de his accipiendum, qui vesicæ calculo solent ut plurimum affici, ut pueri. Hiq; in illis quas diximus regionibus ex ratione climatis & naturæ proprietate solebãt magis calculo arenoso laborare, quã in Europæis ac septentrionalibus nati. Postremo isti Aphorismi, cũ regulæ sint & definitiones ad medicã artẽ, quę tota in cõiecturis versatur, factæ, non possunt ita esse certæ ut immutabilem & sempiternam veritatem contineant. Nulla, ut aiunt, tam generalis est regula, quin exceptione aliqua infirmetur. Nulla autem in medicina signa sunt, sive illa προγνωστικὰ sint, sive διαγνωστικὰ, sive κριτικὰ, quæ tam certa videri queant, ut nunquam fallant. Idque ita esse quotidie medici reapse experiuntur. De signis igitur sæpius veris,
sed

ſed aliquando fallacibus, non poſſunt Aphoriſmi componi ac conſtitui qui nunquam fallant, & quibus nihil opponi queat, quod exceptionis vice ſit contra veram & catholicam regulam. Satis eſſe debet, ſi ut plurimum regula vera ſit, ut hæc eſt Hippocratea, ſicut à nobis nunc exponitur. *Quibus arenoſa in urina ſubſident iis veſicam* λιθιᾶν. Arenoſa iſta ſedimenta in pueris, quibus peculiaris ac proprius veſicæ calculus eſt, indicant calculum eſſe in veſica arenoſum. Non dubitavit certe Galenus inter exempla ἐξ ἰδίου σημείου hoc afferre, renum calculum argui ex arenoſis ὑποστάσεσι. Tanto magis ἴδιον id ſignum videri debet in pueris, & in veſicæ calculo illis familiari, quia vix aut rariſſime arenoſa pueri cum urina eiiciunt, quin calculi in illis id argumentum ſit, ſed arenoſi. Tuum erit doctiſſime Beverovici videre ac perpendere, an quæ adduximus aliquid facere queant, conciliandæ veritati huius Aphoriſmi Hippocratei, cuius fides apud pleroſque recentium medicorum vacillat, & magis apud te quam alium quemquam. Nolo confidere per me locari in ſolido poſſe quæ per te in dubium ſit vocata, immo ſtatu graduque ſuo deturbata, ac pæne ſubverſa. Qui medicus

dicus non ſum, non eos mihi ſpiritus aſſumo, ut medicos docere poſtulem. Ego vero doceri opto. Quod tu facies, aut nemo, in hac præſertim quæſtione quæ pridem meditata tibi, ac mandata litteris cum maxima tua gloria, & nunquam intermoritura laude. Quæ contra te haud magis quã pro me dicerem hæc habui, id eſt, pro ea expoſitione Hippocratis Aphoriſmi, quam tu non probaſti, cum à me quæſiſſes quid de tua ſentirem. Te non mihi eam approbaſſe ex hac Epiſtola animadvertes. Potuiſſem fortaſſe tibi cauſas huius meæ diſſenſionis plures melioreſque dare, ornatiuſque illas explicare. Sed excuſabis hominis aliud cogitantis diverſas curas, ut eſſe oportet eius qui iam itineris totus eſt ad quod accingitur. Nec poſtulo iſtis ut mutes ſententiã, aut labaſcas, ubi mea legeris, ſed ut me, vel diſſidentem, amare pergas. In tanta quanta noſtra eſt in hac quæſtione opinionis diverſitas, nihil vetat & tãtam, quanta maxima fingi poſſit, animorum ſtudiorumque concordiam, atque adeo amicitiam reperiri. Non enim pugnamus, ut hoſtes ſimus, ſed ita amici ſumus, ut vel ſic pugnare poſſimus, & amici tamen manere. Veritatem tuæ ſententiæ parum dubiam tibi

tibi videri dicis. Cur igitur quærebas quid de ea exiſtimarem? De mea idem ſentio ac dico quod tu de tua. Quis igitur nos componet? Nos ipſi. Non impedio ne tua tibi talis videatur ut fingis. Nec igitur prohibebis quin veriora ac potiora putem quæ ſcripſi. Nec eſt quod mihi opponas auctoritatem Sanctorii. Pluris tua mihi nunc eſt, quam illius tibi tunc fuit. Pro uno Sanctorio tibi opponere poſſum quantum eſt medicorum veterum & recentiorum, ipſumque adeo Hippocratem, qui quod negas eum dixiſſe in hoc Aphoriſmo, id luce clarius expreſſit. Habeo præterea & profeſſores huius Academiæ in medica facultate celeberrimos, tuique amantiſſimos, quos non minoris facere quam Sanctorium illum te debere, facile mecum iudicas. His cum expoſuiſſem noſtram hanc controverſiam, rationeſque tuas ac meas explicaſſem, non dubitarunt albo calculo meam probare huius Aphoriſmi interpretationem. Nunquam tamen ſatis eam comprobatam confirmatamque putavero, ſi tu illi atrum adiicere perges calculum. Demi non illum mallem mihi è veſica ſine nece aut noxa, ſi eo laborarem,

quam addi à te tuum ad meam ſententiam, ſi id fieri poſſet, ſerio triumpharem. Vale medicorum flos delibate, ſuadæque medulla. Leydæ ipſo Iohannis Baptiſtæ die, cIↄ Iↄ c.XL.

Nobiliſſimo

Nobilissimo viro,

CLAUDIO SALMASIO,

IOH. BEVEROVICIUS

S. D.



Obilissime Domine, Totus nuper in lectione muneris tui de Trapezitico fœnore, liberius fortasse scripsi, quam decuit Salmasio Beverovicium. Speraveram vel authoritate tua meam interpretationem stabilitum iri, vel firmis rationibus convulsum. Vtraque de spe cum decidissem, ad rem veritatemque, cuius te felicem è scriptis assertorem admiror, tua cœpi revocare, si forte inclusam tot medicorum commentationibus in veritate investiganda limatis, lucem proferre possem. Te ipsum iudicem requiro, sed sine affectubus iis, quarum caussas procul habes. Tota sub te iudice lis est, An arenæ in urina emissa indicent calculum esse in vesica, & An interpretatio mea veritati, & Hippocrati consentanea sit. Prius negavi, posterius probare conatus sum, nec mentem aut factum muto. Ridiculum enim esset Hippocratem in Aphorismis, quos iure medici pro Aesculapii habent oraculis, aliquid pro vero statuere, quod ipse in aliis alio loco falsi arguit. Afferam ipsa magni authoris verba, etiam in libello meo citata, ex libro περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν,

quibus veteres Medicos, id asserentes, reprehendit. Πολλοὶ, *inquit,* τῶν ἰητρῶν οἱ μὴ συνιέντες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσιν τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιᾷν τὴν κύστιν· καὶ ταύτην μὲν οὔ, *&c. Nescio quid clarius contra vulgarem Aphorismi explicationem afferri queat. Arabum medicorum, qui insignes fuere practici, princeps Avicenna scriptū reliquit,* Sedimentū arenosum in urina non facere calculosos, sed reddere homines à calculis immunes. *Quomodo igitur signum calculi? Nec te fugit, quod & inter alios de se ipsis testantur Matthæus de Gradi, & Epiphanius Ferdinandus, multos à pueritia arenulas excrevisse, nullo unquam calculo vexatos, nedum vesicæ. Qua ergo ratione indicabunt Hippocrati* τὴν κύστιν λιθιᾷν; *Cum itaque interpretatio illa veritati, quod nemo negare potest, & ipsi Hippocrati, ut iam probavi, repugnet; an non pro vero pugnet, & Hippocratis genio non adversetur, nunc considerandum venit. Id consequuturus mihi videor, si* οὖρον *Hippocrati etiam usurpetur de urina in vesica, antequam emissa, & vox* ὑφίσταται *de iis, quæ in corpore retinentur. Locum addam, extra omnem, ut equidem censeo, contradicendi aleam positum, ex lib.* IV. *de morbis, ubi explicat quomodo calculus oriatur in vesica, similitudine ferri in ignem coniecti,* Οὕτω δὴ καὶ ἡ ὑπόσταθμη ἐν τῇ κύστει, κόλλης γινομένης τοῦ φλέγματος, ἐξουρέεται, τηκόμενον ἀπὸ τοῦ οὔρου, *&c. Vbi manifeste sumi-*

tur τὸ οὖρον *pro urina, cum adhuc in vesica subsistit. Idem author est pueris sæpius calculum generari in vesica, adultis in renibus, quod lib.* VI. *Epid. hac periphrasi expressit,* τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα παιδίοισι μᾶλλον. *Ubi Galenus, & alii interpretes* τὸ μετ' οὔρησιν σύναγμα *exponunt, eorum quæ post mictum in vesica subsistunt, concretionem. Ita ut* σύναγμα *Galeno nihil aliud ibi sit, quam* σύστασις καὶ πῆξις. *Et in libro, ubi obsoletas Hippocratis voces explicat,* σύναγμα *ab eo exponitur* ὑπόστασις. *Sic Glossæ veteres,* Ὑφίσταμαι, subsisto. *In qua significatione Hippocratem vocabulo* ὑφίσταται *usum fuisse, superioribus meis demonstratum puto. Possem & alios adducere primæ notæ scriptores, si vellem* γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, *aut Phormione insanior inter sanos videri. Quanquam non arbitrer omnibus te lippis velle eodem mederi collyrio. Me docere, Vir nobilissime, ut pergas, & amare, etiam atque etiam rogo. Vale fœliciter. Dordrechti* VII. *Iul.* CIƆ IƆC XL.

Virtutum tuarum cultor

IOH. BEVEROVICIUS.

Clarissimo viro,

IOHANNI BEVEROVICIO

CL. SALMASIUS.

S.

OPeræ sudabant in fine Responsionis meæ ad priorem tuam Epistolam, una cum illa excudendæ, cum posterior mihi reddita est, præstantissime Beverovici. Dederam iam quoque typographo Præfationem illi Editioni præfigendam, qua causas tibi exposui, easque verissimas, cur excusam typis illam Epistolam, qua tuæ respondi, mittere ad te maluerim, quam mea manu exaratam, cuius scripturam tot inductis, interlitis, & additis infuscatam, vix assequi potuisses. In his autem postremis litteris video te fecisse, quod egregios belli duces factitare solitos accepimus, ut laborantibus in acie suis, qua parte validius ab hoste premuntur, copias novas subinde submittant auxilio, quo possint, redintegratis viribus, hostilem impetum sustinere, forsan ac reprimere, eosque à quibus iam fugabantur, in fugam vice versa impellere. Quin-etiam solent iidem periti imperatores, si quam

quam partem aciei cernant debiliorem, ac ſuſpicio ſit ab eo latere impreſſionem hoſtes eſſe facturos, ſubſidiis eam firmare. Ita tu cum forſitan dubitares de robore tuorum argumentorum, ac de rationum pondere, quas in priore Epiſtola, quaſi in prima acie collocaras, aliam manum ſubſidiariam mittendam decreviſti, quæ de pugnæ eventu minus te ſollicitum, magiſque ſecurum eſſe iuberet, cum adverſarius tuus huic novæ multitudini ad præmiſſam adiunctæ par eſſe non poſſet. Ego vero ut acceſſionem aliquam numeri per te eſſe factam, ad priora argumenta, ultro fatear, ad momenta virium, nihil aut parum te adiecisse, non poſſum tibi diſſimulare. Pro gravi, an pro levi armatura copiæ iſtæ habendæ ſint, quas de novo ſuppeditaſti, res ipſa & earum virtus mox indicabit, ubi pede collato cum iis, quas in adverſum egero, conſiſtent. Quod me iudicem requiris, ſed ſine affectibus, quorum cauſas te procul habere dicis, recte ſane ſentis eos à me abeſſe longiſſime cum cauſis ſuis. Non tamen æquum eſt, totam hanc litem à meo iudicio pendere, tametſi id te velle præ te feras, quia iudex in mea cauſa ſedere nolo. Sumamus potius quemlibet ar-

bitrum, in medica facultate doctorem ac professorem, vel ex hac Academia, vel ex alia, quæ tibi videbitur optanda, Parisiensi, aut Montispessulana, aut etiam, si voles, Lovaniensi, qui hanc inter nos controversiam aut componat, aut decidat, ac secundum alterutrũ pronuntiet, qui visus fuerit meliores ac solidiores rationes pro sua explicatione attulisse. Nunc respondebo novis tuis argumentationibus, quas in aciem quasi secundam ac subsidiariam directas, in hac posteriore Epistola opposuisti. Hæc prima inter illas ex agmine pugnatura procedit. *Ridiculum,* inquis, *esset Hippocratem Aphorismis, quos iure medici pro Aesculapii habent oraculis, aliquid pro vero statuere, quod ipse in aliis alio loco falsi arguit.* Concedã tibi, ne iurgia longius trahamus, Aphorismos Hippocratis vobis medicis haberi debere pro oraculis Aesculapii. Recte addidisti, Aesculapii. Si pro oraculis absolute dixisses, tum hoc tibi negassem. Scis autẽ quam non semper vera sint Aesculapii oracula. Quæ pater ipsius Apollo funditabat, certiorẽ iis fidem arbitrata est olim gentium credulitas. Non idem tamen sensere de filii oraculis. Quis enim Aesculapium unquam oracula dictare scripsit? Si aliqua tanquam Deus aliquan-

quando profatus eſt, quibus veritas ex e-
ventu conſtiterit, non ſane eadem pote-
ſtas veridica data eſt Aeſclepiadis. Tota
veſtra iſta ſcientia quam ab Aeſculapio
hauſiſſe iactatis, cū in genere coniectaneo
verſetur, quod eſſe fallaciſſimum conſtat,
nullos ex ea Aphoriſmos poſſe condi cō-
pertum eſt, qui pro oraculis haberi de-
beant. An ulla ſigna vobis ſunt, προγνωστι-
κὰ, διαγνωστικὰ, aut κριτικὰ, quæ nunquam
fallant? Si aliquando fallunt, quamvis
ſæpius non fruſtrentur fidem, an Apho-
riſticæ ex his ſententiæ ſtatui ſancirique
poſſunt, quæ ſempiternæ ſint veritatis? Si
hoc ſtatueres, & ex eo Aphoriſmum vel-
les componere, maxime fallacem falſam-
que ducerem talis definitionis regulā. At
quod addis Hippocratem ipſum, huius A-
phoriſmi falſitatē ſicut hodie ab omnibus
explicatur, & ſemper olim expoſitus fuit,
in aliis alio loco arguere, non poſſum in
hoc tibi aſſentiri. Nihil enim uſquam ab
eo proditū in ſcriptis aliis legere eſt, neq;
legere memini, quod contra hunc Aphori-
ſmum faciat. Ut hoc probes, *Afferre te* dicis
*magni auctoris verba, etiā in libello tuo de calculo
à te citata, ex libro* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, *quibus
veteres medicos id aſſerentes reprehendat.* Verba
ipſa hæc ſunt, Πολλοὶ τῶν ἰητρῶν, οἱ μὴ συνιέν-

τες

τες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσιν τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιῆν τὴν κύστιν, καὶ ταύτην μὲν οὔ, &c. His verbis appositis, addis: *Nescio quid clarius contra vulgarem Aphorismi explicationem afferri queat?* Vide quantum à te dissentiam. Non enim video quid clarius possit adduci pro expositione vulgari illius Aphorismi. Cum illa νεφρῖτις alia signa habeat, ac plura παθογνωμικὰ & ἴδια quibus dignoscitur, quæ ibi narrat Hippocrates, cum ad ea non attenderent plerique illius ævi medici, sed solam arenarum egeriem cum urinis respicerent, perperam calculum esse vesicæ asserebant qui esset renum. Recte eos reprehendit Hippocrates. Sed non minus ex ea reprehensione liquet etiam ex arenosa ὑποστάσει de calculosa vesica solere indicium fieri. Quid ergo inde concludes contra Aphorismũ? Colligitur ex arena vesicæ calculus ut dicit Aphorismus, etiam renum ut docet hic locus in libro de Morbis internis. Hæc inter se non pugnant. Ideo mutilum Aphorismum pronuntiavit Galenus, non vitiosum nec falsum. Ego vero nec in defectu cubare ea ratione ostendi, quia calculus vesicæ iuxta ipsius Hippocratis sententiã, alii ætati familiaris est, alii calculus renũ. Pueros illo frequentius dixit laborare, viros

viros & ſenes iſto. Ergo Aphoriſmus qui definit ex arena emicta calculũ veſicæ argui, de his accipi debet, quibus magis proprius ac peculiaris hic calculus. Ex ætate itaq; diiudicari poteſt, utrum arenæ indicium dent calculi veſicæ, an renum. Si puer meiat arenas, calculum habet in veſica; ſi ſenex, in renibus. Sed qualem? arenoſum uterque. Hoc in Reſponſione multis expoſuimus. Ut non hoc perpetuum ſit, nec ſempitemæ veritatis affine, ſatis eſt ſi ut plurimum ita eſſe contingat. Veſtræ ſcientiæ ſcita ac decreta non ita ſunt generalia, quin exceptionem admittant. Addis, & aliud argumentum, ab ultima uſque Arabia petitum: *Arabum medicorum, qui inſignes fuere practici, princeps Aviſenna ſcriptum reliquit, ſedimentum in urina non facere calculos, ſed homines reddere à calculis immunes. Quomodo igitur ſignum calculi?* In Reſponſione quæ iã edita eſt, non omiſi quidquid iſtud eſt quod ex Arabibus obiici poterat contra Aphoriſmi vulgarem interpretationem diluere, ac quæ viderentur contraria, componere & conciliare. Sed quia mihi Aviſennam opponis, eius ipſius Aviſennæ teſtimonio nunc te premam. Is lib. I. Fen II. Doct. III. cap. VI. de ſignificationibus ſpecierum

uri-

urinarum, clare dicit, *arenoſam urinam ſemper ſignificare lapidem coagulatum, aut qui eſt in coagulari, aut qui reſolvitur.* Id ſigni arenoſæ urinæ tam locum habere in veſica quam in renibus certum eſt, ſed adiicit etiam ſignum quo dignoſcatur utrum calculus ſit renum an veſicæ, qui illa arenoſa urina denuntiatur, ex ipſius urinæ colore. *Et quæ,* inquit, *ex eis rubea eſt, eſt ex rene, & quando non eſt rubea, eſt ex veſica.* Ergo rubea arena in urina calculum veſicæ teſtatur, non rubea veſicam arguit calculoſam. Ergo ſibi ipſi contrarius eſt Aviſenna, qui alio loco ſcripſerit, *ſedimentum arenoſum in urina non facere calculos, ſed reddere homines à calculis immunes.* Locus ubi hoc ſcriptum reliquit, habetur lib. III. Fen XVIII. Tract. II. cap. XVI. de lapide renum. Verba Arabica citavimus in Reſponſione ad priorem tuam Epiſtolam, ex quibus demonſtratum eſt non ſimpliciter dixiſſe Aviſennam ut vertit interpres, in quo arenoſum eſt ſedimentum in iis non adgregari calculum, ſed in quo plurimū eſt ſedimentum arenoſum. Qui enim magna copia effundunt arenas quæ ſubſideant, eo indicari lapidem intus non concreſcere, quia materia calculi omnis egeritur, aut magna ex parte. Quod ergo ex ea retinetur

tur non ſufficere lapidi generando, quia maior pars egeritur, & cum urinis abit. Hoc voluiſſe Aviſennam in Reſponſione multis oſtendimus. Addit ibidem ſtatim, quod etiam facere plurimum videtur ad diſſolvendam obiectiomem. *Et fortaſſean,* inquit, *non multa eſt materia*, ex qua nimirum arenæ per urinas excernuntur, *nam ſi multa eſſet, gigneretur ex ea lapis magnus, durus. Niſi quis dicat, copioſam quidem eſſe, ſed mollem, & quæ facile comminui poſſit.* Hic ſenſus eſt mihi expreſſus ex ipſis auctoris verbis Arabicis. Nam obſcura eſt Latina vulgaris verſio, & pręcipue in editionibus quæ correctæ ſunt ab Alpago Bellunenſi. Nam vetus interpretatio Cremonenſis ſic habuit: *Et ſi ipſa eſſet plurima, eſſet plurimum quod ab ea generaretur magnus lapis, durus. Niſi eſſet plurima, ſed eſſet mollis, ſuſcipiens comminutionem.* In Arabico ſic habetur: و
لعلها ايضا ليس كثيرة فانها لو كانت
كثيرة لكان اول ما ينعقد عنهما
حجرا كبيرا صلبا اللهم الان تكون
كثيرة ولكنها رخوة قابلة للتفتت.

Et forte etiam non eſt multa, quia ſi eſſet multa gigneretur ex ea lapis magnus, durus. Niſi ſi eſſet quidē multa, ſed mollis ac recipiens commi-

minu-

minutionem. Non abſolute, ut vides, nec ſimpliciter, ſed nec affirmative ſcribit Aviſenna, quod tu in Epiſtola tua aſſeris, ſedimentũ arenoſum non facere calculoſoſos, ſed reddere homines à calculis immunes. Multas ibi adfert dubitandi cauſas in his qui arenoſam ὑπόστασιν excernunt, unde illa procedat ὑπόστασις, aut quid ſignificet. Primum ait videri qui plurimum tale ſedimen egerunt, in his lapidem non concreſcere, quia materia non eſt detenta. لان المادة ليست تحتبس *Quoniam materia non eſt retenta*. Sic correxit Alpagus. Cremonenſis verterat, ut video in eius manu ſcripta verſione, *quoniam materia non eſt coarctata*. احتبس eſt cohiberi, coërceri, vel coarctari. Senſus ſatis apertus. Non manet in hac ſententia Aviſenna, quaſi hoc perpetuo verum ſit, qui egerunt multitudinem arenarum cum urinis, calculi πῆξιν iis non eſſe metuendam. Nec certe verũ eſſe tibi medici tui concedent, ſi in Aphoriſmũ ac regulam id effatum velles cõvertere. Ipſe de eo dubitat Aviſenna, & addit, ex eo quod copioſa in urinis hypoſtaſis arenoſa invenitur, non iudicari debere magnam eſſe vim arenarum in corpore quæ egeratur. Nã ſi, inquit, ibi abundarent, lapis ex his

magnus

magnus ac durus cogeretur. Ne hæc quidem coniectura ſatis firma, ac certa illi viſa eſt. Quid enim ſi copioſa adſit materia gignendo lapidi, ſed mollis, & quæ facile comminuatur? Tum certe non lapis durus ac magnus ex ea coagulabitur, ac concreſcet, ſed arenoſus molliſque, & comminutionis facile patiens. Addit ſtatim Aviſenna, *& ſi non eſt propter illud quo multiplicatur eius ſeparatio in urina*. Hoc eſt, ſi ne quidem calculus arenoſus ex ills arenis conglobari poteſt ac cõdenſari, id ea cauſa etiam accidit, quod arenæ in urina diſſolvuntur, & diſgregantur, nec coiri inter ſe poſſunt. Gerardus Cremonenſis habet, *& ſi nõ multiplicaretur eius ſeparatio in urina*. In lapidẽ facile congregaretur & concreſceret illa magna copia arenarum, niſi in urina ipſa diſcretæ ac diſgregatæ ſepararentur ut plurimum. Cremonenſis verſio magis ad mentem accedit Arabicorum.

و الا لما كثر انفصالها في البول.

Poſtremo ſubiungit, cum talis forma ac ſpecies exiſtit arenarũ in corpore, quæ ſic in magna copia ſint, ut arenoſus calculus ex his fiat, aut omnino non fiat, ſed diſſipatæ arenæ maneant & ſic egerantur, argumentum eſſe quod nec materia in ſe talis eſt, ut in durum lapidem converti

possit, nec satis ex calore loci virium accedit ad eam condensandam & concorporandam in eiusmodi πώρωσιν, quę non recipiat comminutionem.· Arabica ita rotunde currunt ut libeat adscribere: و اذا
كانت الصورة هذه علم ان المادة
لا لسبب في نفسها ولا لسبب شدة
الحرارة مما تحجر تحجرا غير قابل
للتفتت. Versio sincera Cremonensis melior quam Alpagi correcta. *Et cum forma sit hæc, scias quod materia non est neque propter causam in se ipsa, neque propter vehementiam caliditatis eius, quod in lapidem convertatur non suscipientem comminutionem.* Post omnia addit ibidem Avisenna, *& significat multitudinẽ expulsivæ.* Ita Cremonensis. Pro quo reposuit Alpagus & correxit, *Et significat fortitudinem expulsivæ*, id est, vim expultricem validã. Nã in Arabico est, و يدل على قوة الدافعة. Hoc vult Avisenna, qui arenas excernunt, hoc est materiam calculi, significare magnam sibi inesse virtutem & facultatem superflua expellendi, quia nimirum non dant tempus materiæ ut in vesica vel renibus diutius desideat, sed eam prius ejiciunt quam in cor-

pus

pus calculi queat ſpiſſari. Hæc veriſſima ſunt, ſed illud omni vero verius quo tandem concludit, hoc κριτήριον incertum eſſe & ambiguum, ut ex quo non ſemper aliquid neceſſario colligi queat. وهذا حكم اكثري غير ضروري. Illud tamen in hac incertitudine ſignorum pro certo debet ſtatui, arenoſam hypoſtaſim tum in urinis haberi, cum aut calculus arenoſus eſt, aut arenæ multæ ſunt in veſica & renibus, ex quibus periculum ſit ac metus calculi συστάσεως, ſi calor ſatis fortis acceſſerit ad eum denſandum, aut glutinum ex pituita ad eum cogendum. Illud πάθος eſt, hoc διάθεσις. Calculus ille iam factus, iſte in fieri, ut dicunt barbari. Qui non tamen negligendus. Hinc Galenus dixit arenoſam ὑπόστασιν ſignificare calculum aut præſentem, aut futurum. Copia ſane arenarum, in veſica quamvis nondum in lapidem coactarum, nomine λιθιάσεως, ut in reſponſione diximus, poteſt intelligi, quatenus ille etiam λιθιᾷ, qui multitudine λιθίων vel λεπτῶν λίθων laborat. Quos λεπτοὺς λίθους ψάμμον Hippocrates etiam vocat, & ψαμμώδεα. Præterea notandum eſt Aviſennam eo capite de renum lapide loqui,

non de vesicæ. Quod & titulus indicat, فصل في حصاة الكلية. *Caput de renum calculo*. Fen sequenti cap. v. eiusdem libri tractat *de lapide vesicæ & signis eius.* Calculus renũ ut plurimum arenosus, & cum talis est ac mollis, de se etiam indicium prodit per egestionem arenosi sedimenti. Quod signum egestionis arenosæ ut non sit perpetuum nec indubitatum in his qui renum calculo arenoso laborant, ita tamen certum est, ut sæpius non fallat. Nam & Hippocrates in nephritide prima, qui ea ægrotant arenas cum urina dicit expellere. Dico de arenoso, non de duro. Nam plus quam certum est, durum calculum non posse significari per indicia arenosi sedimenti. Illud autem signum egestionis arenosæ longe certius est in vesicæ calculo arenoso quam in renum. Pueri ut plurimum illo vesicæ vitio calculoso ægrotant. Raro, immo rarissime arenas excernere consueverunt nisi ex calculo. At viri senioresque qui solent calculo renum sæpius corripi, sæpius arenas cum urina mittunt absq; ulla calculi suspicione. Aut si cum suspicione, sæpe illa falsos coniecturæ dimittit. Rarius hoc signi fallit in pueris, qui-

quibus calculus veſicæ magis familiaris. Quæſivi ſæpius à medicis practicis an pueros vidiſſent, qui arenas egererent & tamen calculum in veſica non habere deprehenſi eſſent: Reſponderunt id quidem aliquando contingere, ſed rarius. Non eſt ergo quod mihi objicias auctoritatem Matthæi de Gradi, & Epiphanii Ferdinandi tradẽtium multos à pueritia arenulas excreviſſe nullo unquam calculo vexatos, nedum veſicæ. Illi multi fortaſſe pauci erunt. Demus eſſe multos, dum nobis viciſſim detur plures eſſe qui arenoſam urinam reddant, quæ ſignum calculi ſit. Sic de pluribus facto Aphoriſmo conſtabit veritas, quandoquidem nullus tam generalis in medicinæ arte fieri poteſt, ut ad omnes ſine exceptione ſpectet. Interrogati inquam plures à me medici in praxi exercitatiſſimi, ſe paucos admodum cognoviſſe pueros dixere qui arenoſa excernerẽt, quin calculus, nempe arenoſus, iam concretus in veſica, hoc ſigno ſignificaretur. Aphoriſmi medici de his quæ ut plurimum contingunt, definiri ſolent. Ut legem iuriſconſultus de raro contingentibus non facit, ita nec Aphoriſmos medicus. Quæ à regula excipi ſolent, non poſſunt regula teneri. Si quis ἀφοριστι-

κῶς pronuntiaret, pueros non ante vagitum edere quam ex alvo matris prolapsi aërem hauserint, an non verum ἀφορισμὸν sanciret? Atqui exempla sunt, nec pauca, infantium quorum auditus est vagitus adhuc intra viscera matris hærentium. Rumor est de quadam fœmina prope Vesaliam, quæ iam per triennium uterum gestat, cuius fœtus à multis fide dignis vagire & audiri dicitur. Nobilis matrona in hac urbe narrare solet, uxorem fratris sui cum instaret tempus eius partitudinis, dum in lecto esset marito accubans, audiisse vagitũ infantis in utero adhuc conditi, & obstupefactam tali monstro excitasse virum dormientẽ, qui & ipse capite intra lintea lectualia posito eum audierit. Mulierem perterritam eo quasi prodigio, paucos post dies enixam esse. Tales esse debent, & sunt, medici Aphorismi de his quæ ut plurimum fiunt, nec excludunt ea quæ raro fieri solent. Pro Aphorismo haberi potest quod scribunt Physici, nulli infanti risum dari ante quadragesimum diem. Hanc regulam multos infantes præcoci risu falsi convincere nos scimus. Regula tamen est, licet suam patiatur exceptionem. Nullus ferme est Aphorismus quin idem possit de eo dici. Quod Avisen-

Avisennam allegasti pro te, eundem nunc & contra te appello. In capite sequenti de signis lapidis, scribit, *si quando sani, & maxime senes, meiant urinam nigram cum dolore aut sine dolore, significare quod lapis gignitur in vesica.* Sic enim in Arabicis legitur, non *completur*, ut habet Cremonensis cum Alpago, additque, *& confirmari significationem in omnibus illis si videatur arena residens.* Longe autem magis hæc confirmatur significatio in pueris qui arenosa meiunt, quo signo certum est ut plurimum calculo eos laborare aut arenoso aut molli, aut sane tali qui aliquid de superficie sui à se auferri sinat. Idē Avisenna lib. III. Fen XIX. tract I. cap. V. de lapide vesicæ & signis eius: *Et accidit quandoque ut sint in vesica una duo lapides, & plures illos excoriantes, & multiplicatur arenosa comminutio ex illis. Et est quandoque cum arenositate fæx furfurea, propter abrasiones superficiei eius à lapide aspero.* Pro illis, *& multiplicatur arenosa comminutio ex eis*, quæ ita correxit Alpagus, posuerat Cremonensis, *& multiplicatur confractio arenæ ex eis.* In Arabico est, و كثر تفتت الرميلة. *& cōminutio arenæ in his plurima fit.* Et hoc sane consentaneū est Hippocrateæ doctrinæ, qui libro IV. de Morbis inter si-

gna calculi in pueris deprehendendi reponit, & διάκρισιν τῶν ψαμμωδέων, *Arenosarum mictiones.* Quam tamen non semper vult pro signo haberi, sed tum demum cum arenosus est calculus mollis, aut cum plures calculi arenosi in vesica inter se ex collisione attriti arenas ex se emittunt abrasas. Aut certe cum in ea est arenarum magna copia ex qua nondum concretus est calculus, sed periculum est ne tandem concrescat. Atqui vesica in qua hæc multitudo arenarum extat, etiam λιθιᾷν dici potest, ut in Responsione ostendimus. Quod addis, *communem Aphorismi interpretationem veritati ipsi & Hippocrati repugnare*, ex his quæ diximus, an tibi id vere dicere liceat, iam tibi ipsi iudicandũ relinquo. Sed pergis ac subnectis, *te id esse consequutum*, ut nimirũ tua valeat opinio, communis vero in morboniam abeat, *si* οὖρον *Hippocrati etiam usurpatur, de urina in vesica antequam emissa, & vox* ὑφίσταται *de iis quæ in corpore retinentur.* Duo poscis, nimium poscis. Neutrum dabitur. Non negavimus οὖρον Hippocrati etiam usurpari de urina quamdiu est intra vesicam. Aliquid largius etiam tibi donavimus οὖρον proprie dici, ubi ex toto corpore humor ille liquatus & percolatus in vesica subsedit.

dit. Sed ut tibi procederet inoffenso pede tua explicatio, oporteret nunquam aliter οὖρον apud Hippocratem sumi, nisi de urina quæ manet in vesica. Cum autem τὰ οὖρα Hippocrati absolute in numero plurium posita semper urinam iam emissam significent, nunquam emittendam, sed & οὖρον sæpius eodem significatu apud eum capiatur, non potes ex eo quidquam arripere, quod tuam opinionem in firmo fundamento stabilitam collocet. Ad verbum ὑφίστασθαι quod attinet, etiam si docere posses ita accipi aliquando ab Hippocrate quemadmodum autumas, hoc non satis esset, sed ostendere deberes, hoc verbi cum οὔρῳ iunctum significare id quod vis. At nunquam id ostendes. Variat lectio apud Hippocratem in Coacis lib. III. tract. IV. de Urinis, in istis: αἱ ὑμενώδεες οὐρήσιες, καὶ αἱ μετὰ φρίκης ὑφιστάμεναι σπασμώδεες. Vbi Duretus alterius lectionis meminit, αἱ μετὰ φρίκης ἐφιστάμεναι. Cum hac scriptura interpretatur, *quæ intus subsistunt cohibitæ*. At cum illa altera ὑφιστάμεναι vertit, *quæ cum horrore subsidunt*. Non ergo ille putavit ὑφίστασθαι posse accipi pro supprimi vel sisti, cum sit subsidere. Cú igitur alio loco in iisdẽ Coacis ὑφίσταται βὰξ vertit, *quiescit ac desinit*, legerit oportet ἐφίσταται non ὑφί-

σται. Et profecto verissimum illud est ac certissimum quod tuam evertit funditus sentētiam, nusquam in scriptis Hippocratis ὑφίσταται reperiri pro supprimi, nisi in mendo cubet. Non magis sane nobis procudes ex Hippocrate οὖρον ὑφίστασθαι de urina quæ supprimitur, quam οὔρου vel οὔρων ὑπόστασιν apud eum & alios Græciæ medicos pro urinæ suppressione, cum sit urinæ sedimentum. Non erat quod laborem inanem sumeres quo nos doceres οὖρον apud Hippocratem interdum significare urinam in vesica adhuc desidentem. Hoc nemo tibi negavit, nec negaverit. Sed quęstio est an in hoc Aphorismo Hippocratis ita possit ac debeat accipi, ubi dicuntur τὰ ψαμμώδεα ἐν οὔρῳ ὑφίστασθαι, *arenosa in urina subsidere*. Alium adfers Hippocratis locũ ex VI Epidemiorũ, ex quo haud scio sane quid probare contendas. Certe nihil ex eo concludi potest quod pro tua causa hilum faciat. *Hippocrates*, inquis, *auctor est pueris sæpius calculum generari in vesica, adultis in renibus, quod lib.* VI. *Epid. hac paraphrasi expressit,* τὸ μετ' οὔρησιν σωάγμα παιδίοισι μᾶλλον. *Vbi Galenus, & alii interpretes,* τὸ μετ' οὔρησιν σωάγμα *exponunt, eorum, quæ post mictum in vesica subsistunt, concretionem. Ita ut* σωάγμα *Galeno nihil aliud ibi sit, quam* σύστασις & πῆξις.

& πῆξις. Et in libro ubi obſoletas Hippocratis voces explicat, σωάγμα ab eo exponitur & ὑπόστασις. Priuſquam diſcutiamus vim huius tui argumenti, videndum eſt quid velis illis verbis, quibus dicis, *Galenum & alios interpretes ita illa Hippocratis expoſuiſſe τὸ μετ' οὔρησιν σωάγμα, eorum quæ poſt mictum in veſica ſubſiſtunt concretionē.* De Galeno quidē verum eſt ita expoſuiſſe, de aliis interpretibus ſi *mictum* ſumas in propria ſua ſignificatione, falſum eſt. An tu oblitus es quomodo ipſe acceperis poſt Duretū & Heurnium, alioſque, qui μετ' οὔρησιν ibi ſumpſerunt, non pro mictione quæ urinam è veſica educit, ſed pro urinæ ductu qui perficitur in veſica, poſtquam humor nimirum qui urinam facit, è renibus in veſicam manavit? Si hic mictus proprie dicitur, tibi quidē aſſentiar interpretes illos quos dixi ita expoſuiſſe, ſed de Galeno tunc non erit verum. Ut etiam falſiſſimū eſt Hippocratē ipſum ita intellexiſſe. Haud ſcio an ab Aviſenna hanc expoſitionē hauſerint novitii interpretes. Non puto tamen. In lib. III. Fen XVIII. tract. II. cap. X. ita ſcribit, dum exponit differentias lapidis renum & veſicæ: *Et iterum quoniam lapis renum generatur ſecundum plurimum, & non adhuc mingitur, & eſt ſedimen urinæ retentum*

cum

cum ea. Et lapis vesicæ coagulatur vel induratur secundum plurimum post separationes urinæ, & est fæx seu turbulentum sanguinis vel urinæ quæ non associatur ei, sed postponitur ab ea. Hæc est ab Alpago recurata versio. Cremonensis ita reddiderat: *Et iterum si est lapis renum, & generatur secundum plurimum, & non adhuc mingitur, tunc est sedimen urinæ, retentum cum ea. Et si est vesicæ & discernitur secundum plurimum post separationem urinæ, & est fæx sanguis. Deinde associatur ei & diversificatur ab eo.* Hæc sane multum diversa ab illis Alpagi. Arabica in Romana Editione mutila sunt. Nam prius membrum de calculo renum in illis deest. Alterum de lapide vesicæ sic habet: يتولد في الاكثر بعد انفصال البول فهو عكر الدم و لم يصحبه و تخلف عنه. *Gignitur ut plurimum*, lapis nempe vesicæ, *post excretionem urinæ, & est fæx sanguinis, quæ cum eo non sociatur, sed separatur.* Aperte quidem calculum in vesica generari dicit, postquam urina iam emissa est. Quam urinam vult esse fæcem sanguinis. Græci dicunt ὀῤῥόν. Arabicum عكر significat ὑπόστασιν crassioris ex humore partis. At serum non est crassior pars, sed tenuior, ut in lacte. Pars enim tenuissima postquam à reliquis

à reliquis separata est, serum est. Hoc Arabes non vocant عكر sed ما الجبن, *aquam casei*. At عكر crassamentum est subsidens, τὸ πάχος ὑφιστάμενον. Hinc عكري purpurissum exponitur in antiquo Glossario Arabicolatino, quasi fæculentum. An voluit Avisenna non omnem urinam esse fæcem sanguinis, sed illud οὔρου πάχος, ex quo in vesica, præcipue puerorum, generatur calculus, ut Hippocrates & Galenus, aliique affirmant? Melius utique dixisset esse عكر البول quam عكر الدم, id est, fæcem urinæ, quam fæcem sanguinis. Et ita visum etiam Alpago, qui in versione sua posuit, *Fæculentum sanguinis vel urinæ*. Post mictionem igitur lapis vesicæ gignitur, id est, separationem urinæ à vesica, ut interpretatur Auctor Arabs, quia egesto eo quod liquidius est, pars crassior intus remanet, & coagulatur, concrescitque cum arenis si quæ è renibus deciderint, aut per se, si nullæ sint. At de calculo renum scribit, fieri in renibus, & *non adhuc mingitur*. Id est, *priusquam mingatur*, πρὸ οὐρήσεως. Intellexit omnino veram οὔρησιν, quæ foras è vesica urinam ejicit. Cum enim calculus vesicæ gignatur, & concre-

& concreſcat teſte Hippocrate, poſt mictum, non idem eſt de renum calculo qui ante mictum poteſt concreſcere. Sed cur ante mictum? An non etiam poſt mictum? Poſſe etiam ſignificat Aviſenna cum ait في الاكثر *ut plurimum*. Sed addere videtur rationes cur ut plurimum producatur ante mictum. *Et eſt*, inquit, *ſedimen urinæ retentum cum ea*. An hoc vult, cum formatur calculus in renibus, retineri urinæ ſedimentum cum ea, id eſt, totam, tam liquidiorem nimirum quam craſſiorem eius partem. In calculis vero veſicæ partem liquidorem ſecerni & ejici extra veſicam, craſſamentum vero intus deſidere ac ſubſidere ex quo concreſcit lapis. Hæc omnino mens eius eſt. Non poteſt lapis in veſica concreſcere niſi ſeparetur pars urinæ craſſior ab liquidiore. Ex parte enim craſſiore quæ quaſi fæx eſt, lapis cogitur. At coagmentari vix poteſt niſi per ſeparationem partis tenuioris ac liquidioris. Nec ea porro ſeparari quit niſi per mictum. Ergo calculus veſicæ ſemper μετ' οὔρησιν concreſcit. Poſito ſemel fundamento, ita poſtea calculus augetur & increſcit, ut ſemper quod in urina craſſius eſt, adplicetur & adglutinetur concretioni iam cœptæ. Nec porro fit illa

illa adglutinatio accedentis crassamenti, ad id quod iam concretum est, nisi post secretionem ac separationem liquidioris partis quæ meiendo egeritur. Hæc οὔρησις est. Nam quamdiu pars liquida confusa est cum crassiuscula & fæculenta, non potest quod fæculentum est adhærescere calculo iam coagulato ad incrementum eius augendum. Hoc demum fit post οὔρησιν. Ergo calculus vesicæ concrescit & συνάγεται μετ' οὔρησιν. Et quid aliud voluit Galenus cum exponeret illa Hippocratea, μετ' οὔρησιν, dum ita scribit, τὸ γὰρ πάχος τοῦτο συνιστάμενόν τε καὶ ἀθροιζόμενον ὅταν ἅπαξ ποτὲ μὴ κατὰ τὸν προσήκοντα καιρὸν ἔνδον ἐπὶ πλέον μείνῃ, συστάσεώς τι καὶ πήξεως ἀρχὴν λαμβάνει. Hoc principium ait fundamentum concretionis ex crassamento & fæce urinæ diutius in vesica retenta, nec quo oportuit tempore emissa. Hoc semel iacto concretionis fundamento, quidquid in posterum è renibus in vesicam defluxerit, crassius ac fæculentius, adgregatur subinde & adglutinatur parti iam concretæ, sed tum demum cum separatum est liquidius & defæcatius à crassiore & fæculentiore, id est, post οὔρησιν. Galenus: γινομένης δὲ τοιαύτης ἀρχῆς ἑτοίμως λοιπὸν ὅσον ἅπαν αὖθις εἰς τὴν κύστιν ἀφικνεῖται, προσπλάττεται τούτῳ καὶ γίνεται

μείζων

μείζων ὁ πωρώδης λίθος. Et idem omnino etiam voluit Aviſenna, qui id quod de ea re ſcripſit, totum à Galeno mutuatus eſt. Non igitut dubium quin apud eum legendum ſit in Arabicis, عكر البول pro eo quod excuſum eſt, عكر الدم. Nam de craſſamento urinæ quod πάχος οὔρων vocavit Galenus, non de ſanguinis fæce intellexit. Niſi quis dicat ut pars urinæ liquidior & aquatior ſerum eſt ſanguinis, ita craſſiorem pro fæce ſanguinis haberi debere. Quæ ſequuntur tamen oſtendunt eum ſcripſiſſe عكر البول. *craſſamentum urinæ, quod non aſſociatur ei, ſed ſeparatur ab ea.* Nam pars illa craſſior non exit una cum liquidiore, ſed remanet in veſica ac deſidet dum illa per οὔρησιν ejicitur. Ex hac ratione qua formatur lapis in veſica poſt mictionem, id eſt, ſeparationem liquidioris & craſſioris in urina partis, etiam poteſt conſtare non poſſe conſtitui duplicem matricem ſive τὸ προϋπάρχον eiuſdem calculi in veſica generati, quorum alterum ſit è renibus, alterum è veſica ipſa. Utriuſque enim par ratio eſt ac idem principium. Cum è renibus enim nihil deſcendit niſi τὸ πάχος illud viſcoſum è quo lapis coagmentatur è veſica,

vesica, si talis eius proprietas sit ut coire in calculum & cogi possit per calorem vesicæ, tum sine ullis arenis, quæ nucleum quasi vel rudimentum præbeant ac fundamentum concretioni, coagulatur. Si vero aliquid arenosi deciderit, sæpe fit ut illud urinarum πάχος, quod alioquin etiam absque arenis concrevisset, τὰ ψαμμώδη illa comprehendat & involvat, eodem prorsus modo quo intra succinũ sæpe bestiolæ, ut formicæ, muscæ, etiam aliquando lapilli, & alia simul comprehensa dum hnmor congelaretur, reperiuntur. Ut illa animalcula non causam prębuerunt succini concretioni, sed inter πῆξιν ipsam involuta fuere ac comprehensa, ita arena vel lapillus qui ex renibus in vesicam illapsus est non dedit principium & originem illi calculi συστάσει, sed nactus idoneam materiam ad πῆξιν faciendam dum illa fit, ipse etiam intra illum humorem dum cogitur, ut formica in succino dum congelatur, deprehensus ab humore circum adgregato & concrescente retinetur. Hinc in plerisque vesicæ calculis, si frangantur, nucleus quidam ruber reperitur, quem corticatim pituita involvit. Multi autem etiam inveniuntur absque illo nucleo, cum ex solo urinæ crassamento coagmen-

tati fuere. Et tale est σύναγμα κατ' οὔρησιν quod describitur à Galeno in commentatione ad illa Hippocratis verba. Non enim meminit ullius arenosi vel lapidosi nuclei, qui ἀρχὴν ac πρώτην αἰτίαν lapidi illi generando dederit. Ex solo quippe crassamento urinæ calculum illum cogi ac densari ibi dicit. Et certe si arena illa è renibus illapsa nullum in vesica humorem crassum ad πῆξιν idoneum nancisceretur, à quo sic involuta circumcingeretur, per urinam facile posset ejici extra vesicam. Nam quod è renibus potuit per meatus οὐρητῆρας dictos in vesicam descendere, poterat & è vesica eadem facilitate, immo & maiori per οὐρητῆρα colis sive fistulam è vesica emitti, nisi grandior fieret in ipsa vesica à pituita squamatim ei adhærescẽte & concrescente. Quod etiam faceret absque ulla arena. Ut ergo illa arena non causam præbet concretioni calculi qui in vesica generatur, ita nec eiusmodi calculi προϋπάρχον è renibus debet propter illam arenam arcessi. Aut certe æque debeat ex iisdem renibus talis calculi matrix peti, propter qualitatem humoris qui talis è renibus descendit, ut ex eo possit πήγνυσθαι calculus. Cum autem huius πήξεως in vesica hæc sit ratio, ut debeat secerni liqui-
dum

dum â crasso priusquam vel ipsa πλάσις eius fiat, vel προσπλάσις, eaq; separatio per οὔρησιν fiat, ex eo manifeste patet cur vesicę calculus μετ' οὔρησιν σωύαγμα Hippocrati appelletur. Secus est de eo qui nascitur in renibus. Nondum est urina, humor renum ex quo lapis vel arena in eo gignitur. Nec mictio dicitur, vel οὔρησις, quæ ex illis in vesicam humoris fit percolatio. Ergo omnino nascitur & concrescit lapis in renibus περὶ οὐρήσεως, quia fit priusquam ulla οὔρησις separet crassiorem saccati humoris partem à liquidiore. Nec ulla quærenda preter hanc explicatio aut ratio, cur renum calculus dicatur concrescere περὶ οὐρήσεως. Nã quod pro ratione videtur adiecisse Avisenna in lapide renũ, de sedimento urinæ quod una cum ea retinetur, cum in vesicæ calculo gignendo solũ sedimentum sive fæx remaneat, ejiciatur vero per οὔρησιν serosior pars, hoc nihili est. Sæpe quidem ex calculo renum consequitur οὔρων ἐπίσχεσις, ut apud Hippocratem legere est, sed illa ἐπίσχεσις effectus est calculi renum iam concreti, non modum nec tempus respicit quo concrescit. An cæteri omnes interpretes post Galenum illud μετ' οὔρησιν interpretati sint, ut explicavimus, quemadmodum hic videris asserere, aliis diiu-

dicandum relinquo. Nunc ad tua verba redeo, quibus argumentaris quia σωάγμα Galeno est σύστασις, & ab eodem hæc vox etiam exponitur ὑπόστασις, ex eo sequi ὑπόστασιν quoque idem esse cum συστάσει & πῆξει. Vide quo pergas. Σωάγμα est ὑπόστασις, σύναγμα etiam est σύστασις. Ergo σύστασις est ὑπόστασις. Vitium argumenti quale sit, non te docebo qui tantus sis logicus. Non video sane in illis exitum argumentationis tuæ, nec quid inde conclusum velis habere quod ad rem pertineat. Σωάγμα apud Hippocratem est πῆξις vel σύστασις, id est, concretio & coagulatio lapidis. Quid tum? An inde sequitur ὑπόστασιν, qui liquor est crassior subsidens, idem esse quod σύστασιν? Ponamus ita esse. Ergo ὑφίστασθαι in eo Aphorismo Hippocratis idem erit quod σωίστασθαι, concrescere & cogi. Iam alia & nova hic à te nobis oritur & surgit expositio Aphorismi Hippocratei, ut nimirum arenæ in vesica coactæ & in calculum coagmentatæ, calculum vesicæ indicent. Quid enim aliud ex hac tua conclusione possit elici? Nonne autem istud ridiculum, calculum esse indicium calculi, & latentem in vesica, in eadem vesica latentis? Antea volebas ὑφίστασθαι esse supprimi & sisti, nunc vis idem

idem significare quod concrescere & coagulari. Quid inde fiet? Nempe arenas in urina intra vesicam concretas indicare calculum vesicę, Nunc collige mecum quantum te ratio fugerit. Quod ais Galenum illud συνάγμα apud Hippocratem ὑπόστασιν interpretari, valde profecto falleris. Cum enim constet & conveniat inter omnes interpretes τὸ συνάγμα in eo loco Hippocratis esse lapidis sive calculi concretionem, non potest id exponi per ὑπόστασιν, nisi statuamus ὑπόστασιν eandē esse cum συστάσει, urinæ nempe sedimentum, cum lapidis concretione. Glossa illa Galeni, quæ exposuit τὸ συνάγμα Hippocratis, tibi videtur imposuisse. Si integram retulisses, aut ad eius verba attendisses, sane vidisses non unam illius vocis σύναγμα ab eo afferri interpretationem, sed plures, quæ non omnes conveniunt Hippocratis menti exprimendæ in illis, τὸ συνάγμα μετ' οὔρησιν παιδίοισι μᾶλλον. Primum τὸ συνάγμα exponit ἐπίπαγον. Græce ἐπίπαγος crusta est, quæ superinducitur, aut id quod in superficie extat alicuius rei concretū quasi, & corrugatū ut in lacte cocto, aut iure, aut pulte, quod γραῦς Græce dicitur, τὸ συναγόμενον καὶ ἐπιπηγνύμενον ἐπάνω. Nihil igitur hic ἐπίπαγος ad Hippocratem, cui τὸ συνάγμα est calculus vesicæ, non

tenuis crusta in liquoris crassioris superficie congelata. Τὸ σωὐαγμα idem Galenus exponit & ἐναιώρημα. Non est quærendum an scias quid sit ἐναιώρημα in urina. Citius ignoscerem quęrenti an luceat mero meridie. Sed quæsiverim ex te libenter, an putes significationem ἐναιωρήματος loco Hippocratis convenire. Certe negares. Et optime quidem negares. Nam σύναγμα illud Hippocratis in vesica est, & in urina nondum emissa, at ἐναιώρημα urinæ est iam emissæ, quod in medio eius quasi suspensum est crassius, corpulentiusque & candidius. Sequitur & aliud interpretamentum τοῦ συνάγματος in illa Glossa Galeni, ἢ ὑπόστασις. Propria certe notione hic ὑπόστασιν posuit, pro urinæ sedimento. Idque animadvertere debueras, ex eo quod præcessit ἐναιωρήματι. Talis vocis ὑπόστασις significatio longe abit ab intellectu συνάγματος, ut illam vocem alio loco usurpavit Hippocrates. Immo ὑπόστασις id omne est, quod in liquore omni subsidet in imo quia gravius, ut omnis fæx, quæ & ὑποστάθμη etiam dicitur ab eadem ratione, quia ὑφίσταται. Ita σωὐαγμα usurpavit auctor septimi libri τῶν Ἐπιδημιῶν, quod Hippocratis esse Galenus negat. In eo ita scripserat: καὶ σωὐαγμα ἐφαίνετο ἐν τῷ χερνίβῳ. *Et sedimen-*

dimentum apparebat in pollubro, vel *trulleo*. Hæc vox συνάγμα hodie non legitur in eo libro ſeptimæ Ἐπιδημίας. Quæ tamen ex eo citantur à Galeno in Commentario III. ad VI. Epid. his verbis, quę ſic legenda ſunt: τὸ μὲν ὄνομα τοῦ συνάγματος ἐν μόνῳ τῷ ἑβδόμῳ τῶν ἐπιδημιῶν εὗρον, εἰπόντος τοῦ γράψαντος αὐτὸ, καὶ συνάγμα ἐφαίνετο ἐν τῷ χερνίβῳ. Certe hoc loco συνάγμα non eſt πῶρος ut in illo Hippocratis ex VI. Epid. ſed id quod ſubſedit in fundo vaſis quo urina excipitur. Apud Hippocratem non συνάγμα legitur, ſed σύστημα his verbis: καὶ τὸ οὖρον οὐκ ἄχροον ὑπόστασιν ἔχον, καὶ τὸ σύστημα οὐκ ἐφαίνετο ἐν τῷ χερνιβίῳ ψύξιος ἐούσης. Pro σύστημα Galenus habet συνάγμα. Nec agnoſcit negationem. Quod melius eſt. Χέρνιβον vel χερνίβιον vas eſt ad perluendas manus. Latine pollubrum, vel trulleum. Hic accipitur pro matula. Sic ποτήριον de matula abuſive dixit Galenus & Aphrodiſæus. Intellexit ergo collectionem ſedimenti in fundo matulæ apparentem. Tale ergo συνάγμα Galenus ὑπόστασιν reddidit. Quarta ſequitur apud Galenum expoſitio huius dictionis συνάγμα, quæque ſola ſenſum Hippocratis exprimit, ἢ πῶρος. Idque melius eſſe aſſerit, & ſic capi notat Galenus in ſexto Epidemiarum. Hæc

eius verba ſunt, Σύναγμα ἤτοι ἐπίπαγός τις ἢ ἐναιώρημα, ἢ ὑπόστασις, ἢ πῶρος, ὃ καὶ ἄμεινον, ὡς ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν ἐπιδημιῶν λέγει. Quid clarius? Sic enim ea verba legenda ſunt. Τὸ σύναγμα Græcis id omne ſignificat quod coit & coagulatur, & in unum contrahitur. Quidquid συνάγεται. Hinc & ὑπόστασις ſive urinæ ſedimentum, vel cuiuſlibet liquoris fæx, vel craſſamentum in imo ſubſidens, dici poteſt σύναγμα, quia in fundo matulæ vel vaſis colligitur, & cogitur in unum quaſi fæx & craſſior urinæ vel liquoris pars, quæ ibi ſubſidet. Etiam urinæ ἐναιώρημα poteſt eo nomine intelligi pars illa urinæ ſpiſſior candidiorque, quæ in medio ſuſpenſa tenetur, & veluti ſeorſim à reliquo liquore coit. Νεφέλιον in urina, quod in ſummo eſt, τὸ ἐφιστάμενον τοῖς οὔροις, etiam σύναγμα poſſe appellari non dubito. Cum enim ad ſimilitudinem nubium aëris dicantur, poëta eas νεφέλας συνάγεσθαι dicit, cum in nubem aër cogitur. Sane τὰ ἐναιωρήματα etiam νεφέλαι ſunt Hippocrati. Nulla harum, ut dixi, interpretationum convenit Hippocratei loci ſententiæ. Ergo etiam lapis qui concreſcit ex multis arenis in veſica, quia & ipſe συνάγεται, σύναγμα dicitur Hippocrati. Πῶρον & πωρώδη λίθον Galenus exponit.

ponit. Iã ut puto, vides quã nihil te adiuvet illa Galeni expoſitio, ad probandum ὑπόστασιν idem eſſe quod σύστασιν. Advocas & gloſſarium ut tibi ſuppetias ferat. Quid auctor ille Grammaticus dicit? ὑφίσαμαι, *ſubſiſto. In qua*, inquis, *ſignificatione Hippocratem vocabulo ὑφίσασθαι uſum fuiſſe, ſuperioribus meis à me demonſtratũ puto.* Quam recte id putaris, puto etiam me ſatis demonſtraſſe in Reſponſione mea ſuperiore ad illas tuas ſuperiores. Quod ὑφίσασθαι *ſubſiſtere* Gloſſarum auctor interpretatur, non poſſis ex eo argumentari, ὑφίσασθαι ἐν οὔρῳ ψαμμώδεα, de urinis ſuppreſſis in urina apud Hippocratem eſſe accipiendum. Dicamus ex Gloſſarum interpretatione, *arenas in urina ſubſiſtere*, quis me prohibebit intelligere de arenis ſubſidentibus in urina? Quæ ſubſident in fundo matulæ, nonne etiam ſubſiſtunt? Certe & *ſubſtare* eodem ſenſu vetus interpres dixit de urinis ſubſidentibus vel ſubſiſtentibus. Nam ὑφίσασθαι Græcum de verbo ad verbum expreſſum, nihil aliud eſt quam *ſubſiſtere*, vel *ſubſtare*. Si ὑφίσασθαι quod tu non negas, etiam ſignificat ſubſidere, unde ὑπόστασις, quidni & *ſubſiſtere* eadem notione dici Latine queat? Certe & Leonicenus ita vertit in hoc Aphoriſmo Hippo-

cratis, ut etiam notasti in superiore tua Epistola, sed non eo sensu qui tibi placuit. Nihil enim voluit aliud nisi *subsidere* id esse. Hic quoque ego subsistam. Immo vel subsidam tanquam Triarius, & expectabo quomodo rem gesturi sint Principes & Hastati, quos in prælium priores ire iussi. Si iterum erit pugnandum, tum meos suscitabo Triarios, qui quod superest faciendum perficiant, si minus putas id esse iam confectum, & tibi probent Hippocratem non falsum condidisse Aphorismum. Scio quidem te nec Thessali sectatorē esse, qui librum composuerat quo falsi convincebat Aphorismos Hippocratis, nec Iuliani qui quadraginta & octo volumina scripserat, ut ψευδεῖς eos ostenderet. In hoc uno tamen Aphorismo video te eorum sententię plane subscribere, etsi videri id nolis. Nam hoc omnino ex tua explicatione concludi potest, sive vera illa sit, sive falsa. Si vera est, tum certe fallax & mendax erit definitio, quia ex arenis in vesica delitescentibus signum dari calculi æque intra vesicam occultati affirmat. Quo nihil falsius esse jam supra demonstravimus. Si falsa est expositio tua, sic tamen ex tua sententia Aphorismi falsitas & fallacia deprehendetur,

quia

quia statuis, nisi quis eum ita exponendum cẽseat ut tu censes, non posse ulla ratione Aphorismi veritatem consistere. Ita quocumque res cadat, falsus hic tibi Hippocratis Aphorismus. Mihi sola tua talis est interpretatio. Ut Aphorismo constet certitudo ac veritas, satis est si definiat quod ut plurimum solet contingere, & pluribus, etiamsi non semper, nec omnibus. Τὰ ψαμμώδεα Hippocrati sunt τὰ λίθια vel λιθίδια ψαμμώδεα, minuti lapilli facie & magnitudine arenis similes. Non dixit ἀμμία, arenulas. Alibi ψάμμον vocavit, & λίθους λεπτοὺς interpretatus est. De pueris quibus magis frequens vesicæ calculus Aphorismus accipiendus, & in quibus minus fallax est τῶν ψαμμωδέων indicium, calculum arguentium, quam in viris aut senibus. Postremo arenæ in urina subsidentes, aut calculi morbum denuntiant, aut nullum. Et sic pro ἰδίῳ σημείῳ & παθογνωμονικῷ haberi debent, non pro κοινῷ. Nam κοινὸν σημεῖον illud dicitur, quod non magis hunc quam illum morbum indicat, quo denique plures morbi significantur. Ut bilis excretio non solius est icteri signum, nec pituita excreta solius œdematis. At arenæ vel arenosa subsidentia calculum produnt, aut nullius vitii in-

dicium

dicium dant, si nimirum arenæ sine calculi malo egerantur. Atqui vel illa ipsa arenosa egestio, calculi materia est, plus etiam in pueris metuenda, & cum diligentia cavenda, ne in calculositatis πάθος exeat, quo facile ducit ἡ διάθεσις, nisi cautio adhibeatur. Ex his omnibus concludo falsum non esse Aphorismum, petoq; ut me amare pergas tui nominis diligentissimum cultorem. Leydæ VI. Idus Iulias, cIↃIↃcXL.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

In præfatione. pag. 14. lin. 13. *alienatam*. pag. 16. l. 7. CCCCXLIX. ead. pag. lin. ult. *alienationem*.

In ipſo opere. Pag. 9. lin. ult. *redderent*. pag. 15. lin. 3. *mictionem*. Et ita ſemper legendum. pag. 16. l. ult. *deceat*. pag. 28. lin. 4. χλωρὸι. pag. 45. l. 19. lege, *vel prohibendo*, pro *rumpendo*. pag. 59. lin. 16. *per urinam*. pag. 76. lin. 7. *meatus*. ead. lin. 16. νεφρῖτις. pag. 81. lin. 19. *de locis affectis*. pag. 96. lin. 3. à fine, ἰχουρία. pag. 104. l. 9. اجتمع. pag. 117. lin. 15. αὐξανόμενος. pag. 150. lin. 5. à fine, ἕρπησις. pag. 161. lin. 9. *laborent*. pag. 172. lin. penult. *comedere poſſunt*.

Reliqua graviora levioraque excuſabit & emendabit Lector.

